Emblems

THE UNIVERSITY

OF ILLINOIS

LIBRARY

X393
G44d

RARE BOOK ROOM

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/orusapolloniliac01hora

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS, DE SEPULchris & uario ſepeliendi ritu, libellus.

624

AD LECTOREM.

Inferias tumulosq́; tibi, ſupremaq́; iuſta,
Hoc collecta breui codice, Lector habe.
Quod ſupereſt, lethi memores uiuamus & ipſi,
Et ſic, ut morti uita ſuperſtes eat.



Baſileæ, apud Mich. Iſing.
M. D. XXXIX.

G44d KBX

LILIVS GREGORIVS GYRALDVS, IOANNI FRANCISCO PICO MIRANDVLAE PRINCIPI S. P. D.

EX quo tu me, PICE optime, ex urbana tempeſtate naufragum et omni ex parte quaſſatum, rerumq́; omnium inopem, in hoc florentiſsimo tuo oppido Mirandula quaſi in portum collegiſti, ubi, ut alter Alcinous iactatum Vlyſſem, me ultra merita fouiſti, ſæpiusq́; inter loquendū à me petijſti, an quicquā inter naufragij tabulas reliqui ſuperfuiſſet, quod ſi non publice & paſsim omnibus exponi, priuatim ſaltem & ſeorſum ab amicis præſertim intimis cōſpici poſſet: & inter alia me rogaſti de ſepulchrorum et ſepeliēdi ratione, quod tu ſcilicet iam ſupergreſſus ſeptenarij et nouenarij anni ancipitē climactera, ſepulchrū tibi mediteris. Quare cum inuolucrū neſcio quo fato mecum enataſſet, illud his diebus quibus tu apud Clementem VII. Pont. Max. & Carolum V. Auguſtū Cæſarem Bononiæ abfuiſti, tanquā mango interpolaui, non quidem ut illud uenale haberem, ſed ea tantum ratione ut aliquam tibi ſi nō gratiam referrem (qui enim id poſſem?) at ſaltem illius ſignifi-

896401

cationem præ me ferrem. Vale, ex arce tua Mirandulana, menſe Aprili, M.D.XXXIII. cuius anni mēſe Octobri infelix princeps & uita & oppido à fratris filio per nocturnas inſidias priuatus eſt, & ego miſer omni fortuna exutus, uix uiuus euaſi.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIEN. DE SEPVLCHRIS ET VARIO ſepeliendi ritu, ad CAROLVM Milthzieñ. Germanum.

SVNT plerique, CAROLE, qui nullis ſumptibus, nullis quantumuis immodicis expēſis parcunt, ut uel ædes ſibi magnificas, uel illuſtria monumēta cōſtruant, nō illa quidem perpetuò duratura, ut quæ omni tū fortunæ tum temporis iniuriæ ſint expoſita, qui tamen haud immeritò nonnullam alicuius temporis gloriā conſequunt̃: ex ijs enim eorū quędā animi magnitudo cōſpicitur. Tu uero cum didiceris nulla eſſe monumenta perenniora ijs quæ animo & ingenio pariūtur, omni ope & ſtudio niteris ut tibi tale compares monumentum, quod duret ęternùm. Nam cum ſis nobiliſſ. familia genitus, in qua cum plureis tum literarum omnis generis, tum armorum ſtudijs excellentes floruere, nō ſolum in iſta ueſtra tota, ut eſt latiſsima, Germania cogniti, ſed ob eorum domi forisq; egregia facinora per omnem ferè Europam celebrati, quibus ne tu degener eſſe uiderere, in Italiam commigraſti, luculenta tibi optimarum artium uir

tutumq́; omniũ monumẽta paraturus, atq; in primis ſanctiſſ.tum põtificijs tũ ciuilibus legibus ſtrenuè operã impẽdis, quarũ auſpicio uides iuſtiſsimè cuncta regi, cædes tolli, ius et ęquũ coli, mores cuſtodiri, ciuitates deniq; & reſp. florere. Sed interea & humaniorum ſtudiorũ nõ aſpernaris elegantiam, nec minus etiã amplecti uideris eius facultatis profeſſores, quos et tua liberalitate munificẽtiaq́; demereris, amãtiſsimosq́; tui efficis, ut qui illius ſententiam optime teneas, nullũ prẹclarius nec perẽnius eſſe monumentũ aſſerẽtis, quàm bonarũ literarũ. Nam per Deũ immortalẽ, quid Simãdio, qd Meridi, quid Artemiſię, quid alijs demũ penè innumerabĩ libus, ingẽtes moles uerius quàm ſepulchra ſtruxiſſe profuiſſet, quarum nunc uix nomĩ na reſtant, niſi literarijs monumẽtis potius quàm cęmẽtitijs & marmoreis ſtructa fuiſſent? necdum earum in prẹſentia alia manet imago, niſi quam fideliſſimo literarum ſtylo ſcriptorum bonorũ manus formauere. Errat CAROLE, errat profectò quicunque uel Bryaxin, uel Phidiã, uel Polycletum, uel Lyſippum, aliúmue quemuis ex eiuſmodi celebratis artificibus, aliquid ex marmore, alióue quouis metallo ſeu materia effinxiſſe putat, quod elegãtius perfectiusq́; fuerit, quàm quæ uel ab Herodoto, uel Diodoro, uel Plinio alijsúe ſcriptoribus expreſſa ſunt. Quare,

ex re, recte, ut opinor, ille qui interrogatus quo uellet artifice potius, quóue metallo effingi: malle ſe, ait, excellentis ſcriptoris laudibus deſcribi, quàm ullo quantũuis precioſo metallo ab optimo quoq; artifice effingi: illius enim ſcripta, quàm mũdus ipſe, tãdiu duratura. Sed quorſum, fortaſſe rogas, hęc tam alte repetita? Nõ aliam certe ob cauſam, niſi ut, quod uulgò dicit, te ſponte currentẽ impellerem, & ad bonas artes capeſſendas animarem, ſimúlque ut aliqua ex parte tuis in me meritis hoc libello ſub tuo nomine edito, gratiã referrẽ. Nam ſi quo minus alia re poſſum, hoc ſaltem efficiam, ut ne erga te penitus ingratus fuiſſe uidear, tuæq; uel beneuolentiæ uel liberalitati minus reſpondere.
Nunc de libello pauca præfabor, quẽ de uaſis ſepulchralibus, uarioq; gentiũ ſepeliendi ritu, inſcripſimus. Nam cũ de uaſis ingẽs opus multis digeſtum uoluminibus in manu habeã, in quo uaſa ipſa, quantum in me eſt, ſuis reddo officijs, in hoc de ſepulchralibus egi. Vas etenim, ut primo eius operis uolumine definiui, eſt quicquid quippiã intra ſe cõtinet, uel quod ad eũ uſum comparatũ eſt. Vnde ſicut ſacris, medicinę, coquinę, rei nauticæ, alijsq; rebus propria & peculiaria uel cõmunia uaſa adſcripta oſtẽdimus, ita huic iurè de ſepulchralib. uaſis nomẽ indidimus. Verũ quoniã ſepulchrorũ uarię ſunt ſpecies,

uarij quoq; ſepeliendi mores, quapropter in hoc ſcripturo mihi de ſepulchris, uiſum eſt paulò altius rem repetere, deq́; uario ſepeliendi ritu multipliciq́; inſtituto, tibi, & ſi per te alij fortè legerint, nõ, ut puto, ingrata nec inutilia colligere: quæ ut aliud nihil faciant, nos certe mortis memores efficient, mortaleſq́; eſſe docebũt, nihilq́; in hac mortalitate diu duraturum. Ea uero nunc demum ratione hoc quicquid eſt libelli excriptũ ad te miſimus, ut, ſi editione, an potius ſepultura, dignus tibi uiſus fuerit, meritam ſortiatur conditionem. Vale.

RERVM MEMORABILIVM HOC LIBELLO CONTENTARVM INDEX.

ABatos inſula 38.23
Acheruſia palus.38.14
Acriſij ſepulchrum 2.11
Adriani monumentum 77.5
Aegyptiorum cadauera cur nō cremata 42.7
Aegyptiorum regũ ſepultura 36.8
Aegyptiorũ ſepultura uaria 38.8
Aethiopũ ſepeliendi inſtitutum 46.11
Albanorũ mos ſepeliendi 60.28
Amaſis rex 73.25
Androphagi 6.22
Anima harmonia 25.17
Anthropophagorũ immanitas 6.22
Antiochus 2.13
Antinoi ciuitas.75.1
Antoninus Florentinus 35.30
ἀποθέωσις 32.14
Arabũ ritus condendi uita functos 57.25
Argiuorũ ritus circa funera.54.10.55.24
Artachæi monumẽtum 76.15
Asbeſtinon 48.17
Aſſyriorũ ritus condiendi defunctos 42.20
Athenienſium inſtitutũ humandi mortuos 52.17
Auguſti Cæſaris monumentum 76.28

B

BActrianorum cōſuetudo circa ætate confectos 59.23
Balearidum inſularum cōſuetudo ſepeliendi 57.6
βάρις 39.4

Bero German. 36.1
Bibliotheca animi medicamẽtũ. 72.26
Brachmanæ Indorũ ſapientes 50.6
Bucephala ciuitas 75.3
Buſtum 25.20

C

CAdauer 17.3
Cadauera extra urbem cur olim ſepulta 12.1
Cæſarum conſecratio 32.13
C. Cæſtij pyramis 74.11
Calaciæ gentis ſepultura 50.1
Calanus 50.11
Calliſti monumentũ 51.15
Capulus 20.9
καρικὸν τάφος 74.23
Caſpiorum cõſuetudo circa parentes ſenes 58.24
Cauſiani 62.2
Cecropis ſepulchrũ 2.14
Cenotaphiũ 30.18
Ceramicum 11.26
Charaxus 73.30
Chemis rex 73.26
Chriſti ſepulchrum 77.28
Chriſtianorũ inſtituta circa funera. 68.26
Ciboria 19.16
Cimon 52.13
Cœnæ ferales 15.5
κοιμητήρια 12.26
Colchorũ mos circa defunctos 58.14
Conchylia 19.19
Cõditoria. 5.18.19.8
Conditiuum 19.11
Conditum 18.13
Coragium 19.26
Creſtonum ſepeliẽdi mos 63.5
Cryptæ 5.17
Cteriſmata 14.26
Cyri regis ſepulchrũ 76.20

D

DAnace 39.8
δάνα 39.10
Darius Hyſtaſpes 7.42

Deme

Demetrius Phalereus 52.24
Derbicum ritus ſepeliendi 58.16
Deſignatores. 20.22. 29.2. 37.17
Diophantes Lacedæmonius 2.23
Dis 1.8
Druidę Gallorum ſacerdotes 64.28

E

Ἐγκνισμα 54.13
ἐλεγεῖα 4.21
Enagiſmata 14.25
Ennata 14.25
Ephran 9.25
ἐπιβάθρα 39.5
Epitaphia quot uerſibus conſtare debeant 4.9
Epitymbia Venus 1.22
ἱρα 19.20
ὅσια 19.18
Erichthonius 2.16
Erulorũ cõſuetudo ſepeliendi 59.7
Erythrę regis ſepulchrum 75.13
Eſſedonũ mos circa funera parentum 60.14
Euerriator 20.24
Exuerræ 20.29
Exequiæ 18.12

F

FAſtigium 35.8
Februa 32.8
Feretrum 20.8
Ferię denicales 31.27
Funus 18.10
Funus imaginariũ 30.26
Franciſcus Paludes 35.27

G

GAllorum olim ſepeliẽdi ritus. 64.16
Germanorum funera 65.9
Gerrhorum ſepultura 42.25
Getæ 62.4. 63.22
Gothi 62.5
Græcorum ſepultura 50.22. & 55.21
Grãmaticus 37.17
Gymnaſiæ inſulæ 57.7

H

HEcatæus 71.5
Helenes ſepulchrum 76.4
Hemitymbiõ. 18. 28
Humati 17.12
Hydaſpes 75.7
Hyperboreorum ſepeliẽdi mos 56.14
Hypogea.5.18.19.10
Hyrcanorum cõſuetudo circa defunctos 59.23.60.1

I

IBerorũ ſepultura 49.26
Ichthyophagorum mos humandi mortuos 46.16
Imperatorum conſecratio 32.13
Indictiua funera un de dicta 29.10
Indorum ſepultura 47.13. 48.24. 49.1
Indis tonſura maximum dedecus.56.1
Iouis ſepulchrũ. 77. 13
Iudæorum cõſuetudo mortuos cõdiendi 65.23
Iſmarus 2.16

L

LAcedæmoniorum ſepultura 53.4
Laidis ſepulchrum 13.6
Lectuli 20.6
Leſſum 24.15
Lex in Co inſula ſenibus ſexagenarijs lata qualis 56.22
Libitina ſepulchrorum præſes 1.17
Libitinarij 1.25. 20.13
Loculus 20.10
Lotophagorũ ritus circa mortuorũ cadauera 61.7
Luciani locus emendatur 49.14
Ludi funebres 28.26
funerales 31.13
Lugẽdi modus quis à Numa inſtitutus 27.10
Lyciorum mos in luctu 61.17

Lycur-

Lycurgi inſtitutum circa mortuos ſepeliendos 53.28

M

MAcedonum conſuetudo ſepeliendi 64.14
Macrobiorũ Aethiopũ ſepultura. 46.27
Mahometis monumentum 77.21
Maſſagetarum ritus circa morbo laborantes 57. 29
Maſsilienſium ritus lugendi mortuos 65.4
Mauſoleum 19.16. 74.19
Megarenſiũ ſepeliendi mos 53.3
Melittuta 39.14
Mermeroẽ Perſarum rex 54.26
μνημεῖον 19.4
Monumentũ 19.4
Morticinium 17.6
Mortuale 17.5
Mulieribus antiquis mos eiulandi qualis 24.7
Mycerini pyramis 74.3

N

NAbathæorũ conſuetudo circa defunctorum cadauera 57.24
Naſamonum mos ſepeliendi 57.13
Necyſia 14.25
νεκροθάπται 1.26.20.15
νεκροκορίνθιοι 17.12
νεκρὸν 17.4
νεκροφόροι 1.27.20.16
Nicias 52.10
Nini ſepulchrũ 75.20
Nitocris ſepulchrũ 76.7

O

OBeliſci 74.12
Oſiris monumentũ 77. 17

P

PAdçorum ſepultura 48.9
Pæonum ſepeliendi mos 61.10
Panebi 57.20

Parentū corpora cre ditorib. in pignus apud Aegyptios da bantur 40.16
Parthorum inſtituta circa defunctos. 56 11
Patricidæ & matrici dȩ quo ſupplicio apud Romanos affe cti 21.23
Perſarum in cōdiendis mortuis mos 54.15. 55.8
Phœnicum ſepeliendi mos 53.3
Phryges 61.13
Phylas 38.19
Pittaci inſtitutum in condendis ſepulchris 16.9
Platonis philoſophiȩ ſcopus 3.16
Pluto ſepulchrorum & funerū inuentor (1.7
Polias 2.15
Pollinctores 20.16
Pollincere 20.17
Polyandrion 18.21
Porſenæ Labyrinthus 74.23
Puticulus 19.7
Pyramidū ſtructura qualis 73.22
Pythopolites fluuius 75.8

R

REliquiæ 18.12
Romani ad tubā effe runtur 25.9
Romanorū cōſuetudo cremandi mortuorum cadauera quandiu durauerit 22.19
Rhodopis meretrix 73.28

S

SAbæi 57.25
Sacerdotes nouendiales 31.17
Sacra nouēdialia. 31. (14
Saitȩ 12.30
Salitores 37.24
Sandapilarij 20.21
Sandapila 20.21
Sappho 74.2
Sarcophagus 18.16
Sardanapali ſepulchrum 76.18

Sepul-

Sepulchretũ 18.19
Sepulchrum unde dictum 18.17
Sepulchrum quibus rebus conſtet 3.29
Sepulchri forma 4.24
Sepulchra animata 6.17
Sepulchra gẽtilia & familiaria 20.3
Sepulchra hęreditaria 20.5
Sepulchrorum notę 11.16
Sepulchrorũ ſanctitas 8.12
Sepulchrorũ tria genera eſſe apud Aegyptios 37.9
Sepulti 17.11
Sepultura legitima 30.28
Sepultura apud Aegyptios qui caruerint 39.26
Sepultura olim qui caruerint 21.6
Scytharũ ſepulchra 7.23
Scytharum ſepultura 42.24.45.2
Sicinnis 18.7
Sicinniſtæ 18.4
Sicinnum 18.6
Silicernia 15.6
Simandrij regis ſepulchrum. 71.17. eius epitaphium 72.7
Simpludearia 29.8
Sindorum ſepeliendi mos 45.16
Siti quare dicti. 17.26
Siticines 17.28
Soranus 1.9
Suggrundaria. 19.21
Sumanus 1.8
Styx palus 38.20
Syrophanes 2.24

T

TArchymata 14.(26
ταφὸς 20.15
Thalaſſamani 67.7
Taphoſiris 77.16
Taurorum ritus ſepeliendi 45.11
Taxilus rex 49.22
Taxilorum ſepeliẽdi conſuetudo 49.19
Templa 2.8

Thracum optimatũ ſepeliendi modus 63.9
Trauſorum mos circa mortuos 61.26
Tibarenorũ ſepeliendi cõſuetũdo 60.11
Triacas 14.26
Troglodytarũ ſepulchra 56.26
Tumba 18.27
Tumulus 18.25
Turbant Turcarum diademata 68.14
Turcarum exequiæ pag. 67.7
Turcicarũ ſacerdotũ carmen funebre. 67.20
Tymbades 19.2
Tymbion 18.28
τυμβορύχοι 9.6

V

VBidina 1.24
Veſpillones 128. 20. 19

Z

ZAmolxis 62.7
Zarinæ ſepulchrum. 76.1
Zarmanochegas Indus 50.14

INDICIS FINIS.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS, DE SEPVLCHRIS, ET VARIO SEPELIENDI RITV, AD CAROLVM MILTZ. GERMANVM.

PLVTONEM, quem tum Ditem, tum Sumanũ Latini, Sabini Soranum uocauere, ſepulchrorum, funerum, & exequiarum inuentorem antiqui crediderunt, cum harum rerum nulla, ut ferũt, apud gentes antea in uſu fuiſſet: atq; hac ipſa cauſa uulgò creditum fuit, ut inferis deus & uita functis imperaret. Libitinam quoque Romanos deam ſepulchrorum præſidem coluiſſe accepimus, in cuius templo quæ ad ſepulturas neceſſaria eſſent uenderentur, eandemq; cum Proſerpina, ſeu potius Venere, deam eſſe arbitrati ſunt. Cuius non abſimilis fuit quam Epitymbiam Venerem Delphici uocauere. Sed & Vbidinam eandẽ ferè cum Libitina Græci quidã fecere. A Libitina certe libitinarij apud Latinos dicti, qui à Gręcis νεκροθάπται, et νεκροφόροι dicũtur, ut eſt apud Vlpianum de inſtitoria. dicũtur & ueſpillones. Fuit uero uſqueadeo antiquis ſepulchrorum cura, ut non aliunde templorum & ſacrarũ ædium

de vario ge... ſepeliendi, unde eſt ... per totũ.

originem deductam, diligentiſsimi ſcriptores tradant, Euſebius & Lactantius. Qua de re & Clemens Alexandreus in adhortatione quapiam ad Græcos, ſi ita recte προτρεπτικὸν interpretamur, ſic ſcriptum reliquit: Superſtitio, inquit, templa condere perſuaſit: quę enim prius hominum ſepulchra fuerunt magnificentius condita, templorum appellatione uocata ſunt. Nam apud Lariſſeam ciuitatem, in arce, in templo Palladis Acriſij ſepulchrum fuit, quod nunc ſacrarij loco celebratur. In arce quoq; Athenienſi, ut eſt ab Antiocho in nono hiſtoriarum ſcriptum, Cecropis ſepulchrum fuit. In templo uero Palladis, quam Poliada Gręci appellãt, iacet Erichthon us. Iſmarus autem Eumolpi atque Dairæ filius, in Eleuſine unà cũ Celei natabus ſepultus. & reliqua, quæ multa Clemens colligit, & ab eo Euſebius, quæ in Latinis codicibus nõ habentur. Sed ut templa, ita & ſimulachra atque idola, à ſepulturis originem traxiſſe, ſunt qui uideri uelint, quos inter Diophãtes Lacedæmonius, qui antiquitatum libros XIIII. ſcripſit. is Syrophanẽ ait Aegyptium hominẽ locupletiſsimum filio ſuperſtitem, eius deſiderio ſimulachrum domi conſtituiſſe, ad quod familiares confugerent, cum domini iracũdiam furorémque euitare uellent: quo modo familiares à domino ueniam conſecuti, ſimulachrũ

lachrum ipſum floribus & coronis ornare ſoliti erant, & odoramenta aliáque eiuſmodi adolere, quę ſunt poſtea ad ſepulchra trāſlata. Si quis tamen in uniuerſum ſepeliendi cauſam indagare uoluerit, multo erit illi maxime elaborādum (alia enim alijs gentibus cauſa extitiſſe uideri poteſt) ut ex ijs quæ infrà narrabimus facile perſpici poterit. Si tamen accuratius res ipſa perpendāt, duplicē in primis eam eſſe uidebimus, ut ſcilicet poſteri ſibi quoq; moriendum eſſe admoneantur, & ſimul omnibus illuc tendentibus, recte ac ſancte uiuendū eſſe: quibus rebus ad bene beateq; uiuendū naturæ quodāmodo iure impellimur. Vnde & eadē (ut opinor) ratione diuus Plato ſuæ philoſophiæ ſcopū finemq; in mortis cōſideratione eſſe ſtatuit. Anneus tamen Seneca, non defunctorū, ſed uiuorū cauſa ſepulturā inuentā eſſe uoluit, ut ſcilicet hominum cadauera uiſu et odore fœda, à uiuentiū medio amouerent: id quod ego factū crediderim, poſteaq̃ iam cœtus hominū urbes ac ciuitates cōſtituere cœpiſſet. Sed utcunq; his altius fortè repetitis omiſſis, iam ſepulchrorū uarias formas, uariasq; figuras & lineamenta breuibus circunſcribam, quæ tum à me cōſpectis monumētis et ſepulchris, tum ex probatiſſimis autoribus collegi. Nam cum in primis ſepulchrū omne duabus rebus cōſtet, forma, & inſcriptio

ne, antiqui maxime ſtuduerunt ut ad commenſum & ſymmetriam utrunq; conſtituerent, ut uidelicet monumentum inſcriptioni, & inſcriptio monumento quadam congruente ratione reſponderet. Sed de horum altero nos architectorum præcepta inſtituent, de altero antiquitatum exempla nos inſtruēt, & quæ tot extāt eulogia & collecta & edita uulgò. Tituli enim qui Epitaphia dicuntur, autore Platone, quatuor uerſiculorum numerum excedere nō debent, ut tranſiens uiator facile perlegat. Verū hoc ab eo dictum quidem præclarè, ſed ſuæ ſecūdum inſtituta ciuitatis. Nam aliter factitatū non ſolum à Græcis ſuis, ſed & à Latinis noſtris barbarisq; uidemus. Inoleuit etiam pleriſq; antiquorum uſus, ut ſoluta frequentius oratione quàm uerſu Epitaphia ſepulturis inſcriberent: cum è contrario Græci, & ij quidem antiquiſsimi, non niſi uerſu ſepulchris inſcriptiones adhiberent, quæ & quod elego plerunq; carmine fierent, ἐλεγεῖα à Græcis ſæpe uocata reperies. Epitaphia uero ipſi legimus Græcis literis, Latinis, Hetruſcis, Aegyptijs, Hebręis, et barbaris cęteris. Sepulchri igitur formam alij, & ij quidem quorū corpora non cremabantur, non maiorem apud antiquos, quàm ut corpus caperet, faciebant: quod & à pleriſq; hoc quoq; tēpore ſeruari uidemus, Antiqui uero id in uaſis, inter-

interdum ſtantis forma, interdũ columellę, nonnunquã arculæ uel plutei ſpecie cõficiebant: nõnulli in tabellæ ſcriptoriæ planitiẽ effingebãt, alij amplius quiddã et maius, ubi & titulos & rerũ geſtarum monumenta inſcalpebant. quidã in ſcrinij marmorei, nonnulli in lectuli ſpeciem ſepulchra ſtruxere: quidam & gradus his addidere, alij ſacella proxime erexere. Fuerũt & qui colũnas ingentes, aut pyramides, uel obeliſcos, procerósue coloſſos erigerẽt. Verũ in columnarũ genere illę pręcipue celebratę, quæ ad pedes plus minus centum ductæ ſunt, quę circum undiq; ſignis aſperæ, & rerum hiſtorijs circumueſtitæ, intrà autem gradus habent ad cochleam, quibus ad ſummum earum uſq; aſcendi poteſt, quales adhuc Romæ cernuntur. Fuerunt & qui cryptas ſubterraneas, quas Græci hypogęa, Latini cõditoria nuncupant, ſepulchris diſponerent, cuiuſmodi me uidiſſe cum aliubi, tum Romæ & Baijs ſuccurrit. Sunt & eiuſmodi quędã Chriſtianorum hypogęa prope templa, ut Veronæ: & adhuc toto ferè in Latio conſpiciuntur buſtuaria familiarum & domeſticorum tellure ſuffoſſa, diſtinctís paruo per parietes interuallo buſtulis, quibus crematorum reliquię condebantur: ſtantq; breues tituli, piſtoribus, coquis, tonſoribus, aliptis, & cæteris eiuſmodi ex familia, Sed et effigies tum

gypſo & polline marmoreo ac calce fictas, tum marmore ſcalptas, tum diuerſo metalli genere formatas, in ſolatium & memoriã antiqui exprimere conſueuerunt, quarum mentio frequens apud celebratos autores, M. Tullium, Plinium, Lactantium, Statium, Martialem, item hiſtoricos: quam conſuetudinem et noſtra demũ hac tempeſtate ab aliquibus nouari iam planè uidimus. Nũc ex qua materia ſepulchra cõfici ſoleant, res ipſa & locus, ut oſtẽdam, expoſcere uident̃. Nam ueluti uaria fuit et diuerſa ſepeliẽdi ratio apud nationes, & uario ſubinde tempore, ita uaria quoq; fuit & diuerſa, ex qua monumenta conficerentur, materia. De ſepulchris igit̃ nos ita ſtatuimus, ut alia animata dicamus, alia inanima. Animata rurſus in ea quæ ratione pollẽt, & quę rationis expertia ſunt, partimur. Nã alijs homines ipſi ſepulchra fuere, ut eorum penes quos mos fuit et mortuos uorare, & humana carne ueſci, unde et illis uocabula Androphagi, & Anthropophagi: uel eorũ qui potu defunctorũ cinęres hauriunt. Alijs ſepulchra fuere animalia bruta et rationis expertia, ut qui ſuorũ cadauera canibus, uel uulturibus, cæteriſq; feris exponerẽt. Inanima uero ſepulchra appellamus, quæ ex diuerſa ſunt confecta materia. Alijs item elemẽta ipſa ſunt ſepulchra, ut eorum qui terra cõduntur, qui aqua ſummergun-

guntur,qui igne cremantur,qui per aëra ſuſpenſi,arboribus uel patibulis ſuffiguntur. Ac de his quidem omnibus eſt à nobis copioſius agendū,cum de ſingulis nationibus inſtituta trademus. Ex omni prçterea metallo ſepulchra & loculos factos partim legimus,partim ipſi uidimus:ex auro uidelicet, argento, ære, orichalco,ferro,plumbo,ſtanno,electro, magnete:plurimū uero ex marmore,eoq́ diuerſi generis. Item ex coctilibus fictilibusq́ uaſis,tegulis,plinthis, ex argilla,cretáue,ſed & ex ligno,ligneisq́ arcellis, uitreis etiamnū uaſculis, & cryſtallinis, aliisq́ eius operis. His ita de forma & materia ſepulchrorum à nobis breuiter expoſitis, illud iure ſubdemus, ſepulchrorum iura ſemper ſacra habita, non modo Grçcis ipſis & Romanis,ſed & Iudæis & barbaris quoq́ nationibus. Nam(ut alias nunc mittam)uide quanto ſtudio ac diligentia apud Moſen Abrahamus ille uir ſanctiſsimus,uxori,ſibiq́ ac poſteris ſuis ſepulchrū pararit. Scythç quoq́ qui immaniores cçteris habētur,cum Darius Hyſtaſpis eos bello laceſſeret,eisq́ à Perſis obiiceretur quod prælium detrectarent, inter alia quæ reſponderunt, ſunt(dixere)paterna noſtra ſepulchra,quæ cum inueneritis,agite,tentate illa labefactare,tunc certe intelligetis ſimus uobiſcū nos pro paternis ſepulchris pugnaturi nec ne:

interea niſi nos ratio traxerit, prælium non cõſeremus. Ex quibus facile cognoſcere poſſumus, quo cultu ac reuerẽtia apud barbaros Scythas eſſent ſepulchra, ſi nulla alia ratione ad prælium trahi poterant. Sed quò paterni ſepulchri ſumma eſſet religio, præter id quod de Scythis diximus, Thamyridis quoq; fabula aſtruit, quę et in prouerbiũ uſq; ceſsit, in eos qui furore & inſania corripiuntur, qui in patrios cineres minxerunt, cuius & noſter Horatius in Poëtica meminit. Scribit M. Cicero, quod ſepulchrorum ſanctitas in ipſo ſolo eſt, quod nulla ui moueri, neq; deleri poteſt, atq; ut cætera extinguũtur, ſic ſepulchra ſanctiora fiunt uetuſtate. Terra, inquit Plinius, nos à reliqua natura abdicatos tum maxime ut mater operit, nullo magis ſacramento, quàm quo nos quoq; ſacros facit. Scribit & Plutarchus in Numa, ſacros uocari uita functos, quorũ uidelicet ſacra ſint ſepulchra. Noſtra quoque Chriſtianorum lege, ſua ſepulchris ineſt religio: & idcirco etiam uiolatoribus ſua propoſita ſunt ſupplicia. Vetus eiuſmodi extat Romanorum lex: Vbi corpus demortui hominis condas, ſacer eſto. noſtri uero id Pontificis autoritati ſubeſſe uoluerũt. Illud quoque Romanorũ legibus cauebatur, ne quis ueſtibulum aditúmue ad ſepulchrum uſucaperet, néue buſtum uiolaret. Perſtat & Gręca

ca ſententiola, quę & in prouerbium ceſsit, ne moue non mouenda, hoc eſt, ἀκίνητα μὴ κί-νει. Extāt & hac de re cum Imperatorum ac Pontificum noſtrorum leges, tum diuinitus à M. Tullio tradita inſtituta. Quinetiā & τυμβορύχοι (ſic enim ſepulchrorum effoſſores ac uiolatores Iuriſperiti grçca uoce nuncupant) ſeueris pœnis plectūtur. Scribit Vlpianus, ſepulchri uiolati actionē infamiam irrogare. At uero Paulus, reos ſepulchrorū uiolatorum, ſi corpora ipſa extraxerint, uel oſſa eruerint, humilioris quidem fortunæ ſummo affici ſupplicio, honeſtiores in inſulam deportari, aut relegari, aut in metallū damnari. Hanc tamē ſepulchrorum religionem cōtra hoſtes haud ualere, Caius Iureconſ. arbitratus eſt, cum ita prodat: Sepulchra, inquit, hoſtiū religioſa nobis nō ſunt, ideoq́ lapides inde ſublatos, in quemlibet uſum conuertere poſſumus, nec ſepulchri uiolati competit actio. Porrò & ſepulchra uēditare apud antiquos ignominię & probro dabatur, adeò ut nomē apud Hebræos immutatum ijs qui id feciſſent: ut Ephroni cōtigit, qui ea cauſa Ephran appellatus eſt, ſignāte (inquit Hieronymus) ſcriptura, nō eum fuiſſe conſummatæ perfectęq́ uirtutis, qui potuerit memorias uendere mortuorum. Subdit idem: Sciant igitur qui ſepulchra uenditant, & non coguntur ut acci-

piant preciũ,ſed à nolentibus quoq; extorquent,immutari nomẽ ſuũ,& perire quiddã de merito eorũ,cum etiã ille reprehendat oc culte qui inuitus acceperit.hęc ille.Nec hoc loco illud omittendũ,quod etiã ſi fundus in quo ſepulchra ſunt uẽditione alienet, ad ea uenditori ius adeũdi ſupereſſe: quod his fer mè uerbis Põponius aſſerit: Dominis, inqt, fundorũ in quibus ſepulchra fecerint,etiam poſt uẽditos fundos adeundorũ ſepulchrorum ius eſſe. Sed cum ſepulchrorũ iura ſacra ſemper habita oſtẽderimus, nũc illud pariter nõ ignorandũ,antiquiſſimi fuiſſe inſtituti,ut intra urbẽ, & domi quoq; defunctorũ cadauera cõderent: unde & remãſit lariũ & penatũ religio,qui ea de cauſa domi à gẽtibus colerent. Verũ ea mox cõſuetudo,ut fœda ac tetra,antiquata et in totũ ſublata,adeò ut etiã XII. tabul.legibus uetitũ ſit,id quod et ſenatuſconſulto Duillio cõſule approbatum eſt: ex qua re in uſu loquendi uerba illa uenere,educere, et efferre. Veſtales tamen et Imperatores Romani huic legi et S. C. ſubijci noluerũt. Plutarchus Fabritijs et Valerijs cõceſſum ait,ut in foro ſepelirent:eorũ tamẽ poſteri tametſi id ſibi liceret,ſuppoſita tantũ face,in foro cadauer efferebãt. Eius pręterea qui triũphaſſet,ubi extra crematus fuiſſet,oſſa & cineres in urbẽ deferri & cõponi,decretis permiſſum fuiſſe, Pyrrhon Lypargus tradit

dit. M. Cicero eadē penè quę Plutarch. ſcribit in libro de legib. Appianus uero ſophiſtes & nobilis hiſtoricus, inter cauſas quas enumerat, cur patritij agrarias leges cōtemnerēt, & hāc affert, quod indignarent, impiumq́; ducerent, ſuorū parentū monumēta in aliena iura trāſire, atq; id pietatis et religiōis cauſa. Plato etiā in illis ſuis legib. agros et in primis ſteriles ſepulturis deſtinauit. Sed q̊d extra urbē antiq mortuos ſepelierint, præter ea quę attulimus, et quod adhuc monumēta penè innumerabilia huiuſmodi cōſpicimus, inſcriptiōes quoq; ſepulchrorū et epitaphia id manifeſte cōprobant: nā ferè omnia quæ hactenus cōſpexi Latina, has, uel his ſimiles notas habēt, IN AGR. P. quę quot agri pedes ſepulchrū occuparet ſignificabāt. Eſt apud Vlpianū Iurecōſul. id obſeruatū, D. Adrianū pœnā aureorū XL. ſtatuiſſe in eos qui in ciuitate ſepulchrū fecīſſent, quos fiſco inferri uoluit. Eandē quoq; pœnā in magiſtratus ſtatuit qui id paſsi forēt: quin et locū publicari mādauit, indeq́; cadauer trāsferri. Sepeliebāt autē Romani ſecus maxime militares et publicas uias, inter quas in primis Flaminia et Latina celebrant, ut apud Athenięſes Ceramicū, apud Corinthios Sinopęi Diogenis ſepulchrū, apud Syracuſas Archimedis: & hæc in agris quidē, ut mittā plurima quæ apud autores & leguntur, & adhuc ſecus ipſas uias cernunt. Quibus uero de cau

ſis extra ciuitates cadauera ſepelirẽtur, inter alias potiſsimũ has afferri uideo, ut ſcilicet libera urbs tetro cadauerum odore minus peſtilenti aëre afficeretur, & ut illac tranſeũtes uiatores ad laudes accenderẽtur, monerenturq́ ad præclára facinora obeũda, néue ſi ita accideret, paterentur hoſtes in ſuorum maiorum monumenta graſſari, & perinde alacriori etiã animo à mœnibus urbis propellerent. Addit his Cicero, ne rogi fortaſſis aliquando igne urbs conflagraret, aut incenderetur. Nũc Chriſtiani noſtri, (prò maiorum noſtrorum ſanćta inſtituta deperdita) non intra urbem modo defunćtorũ corpora cõdunt, uerum &, ſi deo placet, in templis, ipſisq́ delubris & ſacellis, in quibus diuorum cineres & reliquiæ tantum ſeruari & uenerari maiorum noſtrorũ religio fuit, nefariorum & ſceleſtiſsimorum hominum, utinam & non etiam impiorum, fœdiſsima cadauera condunt: quod fieri præter maiorum leges & inſtituta, cũ Pico ſæpius & Manardo, & nunc tecum quoque CAROLE uehementiſsime doleo. Ad huius enim rei miniſterium, quæ græco uocabulo à dormitione & quiete dicũtur κοιμητήρια, à maioribus noſtris conſtituta fuerũt: quo modo etiam Lacedęmonij, qui ex Lycurgi lege ſuos in urbe ſecus Deorum templa mortuos ſepelire conſueuerunt. Saitæ tamen Aegyptij ſuos
tantũ

tantum reges, quos ut deos uenerabantur, intra templorum ſepta cõdere ſoliti fuerũt, id quod & ab aliis factitatum autores prodiderunt, & nos nonnihil infra. Legi & apud Athenæum, nobile illud ſcortum Laidem in Veneris templo apud Peneum fluuium ſepultam fuiſſe. Sed hac de re ſatis. Nõ alienum à propoſito opere me facturũ reor, ſi tibi hoc loco repetam, qua ſit ratione factum, ut ex tam paruis initijs, tam magna ſumpſerit incrementa ſepeliẽdi mortalium cura. Nam cum primum domi, ut retro diximus, ſine ulla pompa defunctorum corpora conderentur, idq́ꝫ poſtea per leges eſſet abrogatum, ne tetro ſcilicet cadauerum nidore uiuentes infeſtarentur, ad tantã demum magnificentiæ pompam, ne luxum dicam, deuentum eſt. Sed enim cum id maxime curãdum eſſet, quod et Plato ſcribit, hominem ita habẽdum ut neque mortuus neque uiuus hominum cœtui ac ſocietati eſſet incommodo, cœperũt ergo in agris primũ loca in quibus ſepulturę fierent excogitare, inibiq́ꝫ ad ſepulturæ indicium, lapidem, ſeu tegulam, nonnunquam & ceſpitem, tumulumq́ꝫ erigere, aliquando cippum & teſtas glebasq́ꝫ aggerere, interdum arborem ſerere, quod & diuo Platoni in legibus placuit, & nunc aliquando Turcis, ne uidelicet feræ animaliáue bruta ſepultorum oſſa effode-

rent. At uero redeuntes poſteri ad agros, uere iam florente, chariſsimorũ iacẽtium cum reminiſcerẽtur, pro tempore floribus & ſertis, cæteriſq; eiuſmodi reliquis ſuorum memoriam celebrabãt: ex qua re annua, & tot alia mortuorum ſacra adinuẽta, de quibus ita cecinit ingenioſiſsimus poëta Naſo:

Tegula porrectis ſatis eſt uelata coronis,
Et ſparſæ fruges, paruaq; mica ſalis.
Inq; mero mollita Ceres, uiolæq; ſolutæ.
Hæc habeat media teſta reperta uia.
Nec maiora ueto, ſed & his placabilis umbra eſt.
Adde preces poſitis & pia uerba focis.

Sed cum nõnulli eſſent qui ſuorum uel propinquorum, uel amicorum minus deſiderium ferre poſſent, tertium, ſeptimum, nonum, & quidam trigeſimum et quadrageſimum, non ſine quadam numerorum religione, dies defunctorum manibus & memorię ſtatuerunt: quorum dierum nõ modo apud gentes mentio, et ſumma obſeruationis cura, ſed & in pręſens à noſtris ij magna diligentia cuſtodiuntur. Hinc ab antiquis Græcis ſacra illa, Necyſia, Ennata, Enagiſmata, Cteriſmata, Tarchymata, hinc Triacas, & Triacontades dies legimus inſtitutas: hinc à Latinis iuſta, exequiæ, inferię, parentationes, nouẽdialia, denicalia, februa, feralia, & cętera huiuſcemodi: quę omnia tum

lacte

lacte & uino, tũ ſertis & floribus, tũ reliquis aliĳs rebus, quæ, ut ait Ouid. ab antiquis celebrabantur. Afferebant & interdũ epulæ dapesq́ ad ſepulturã, ubi quoq; antiqui epulabant. Vnde ſunt apud autores feraies cœnę, ſilicernia, & funerũ fercula, quem morẽ uix dũ Chriſtiana lex cõpeſcuit. Extãt certe D. Ambroſĳ & aliorũ poſt eum cõtra hanc cõſuetudinẽ orationes & decreta: in cuius quidem uicem (adeò difficillime potuit aboleri) in quibuſdã adhuc regionibus in parentationibus perſeuerat, ut domi amici & cognati conuocentur, peractisq́ ad ſepulchrũ iuſtis & funeralibus, domi cõuiuia, et quidẽ lautiſsima agitãt, in quibus & demortui laudes et uiuentiũ ſolatia à ſacerdote, uel pro eo ab alio, poſt epulas funebri oratione referũtur. Sed pręter antiquorũ conuiuia, etiã ludos funebres in funeribus, et quidẽ magnificentiſsimos excogitarũt, quos celebri apparatu nõ modo actitaſſe Romanos legimus, ſed ĳs lõge prius Græcos, ut uel Homero in Patrocli funere teſte, cęterisq́; poëtis, didicimus. Proceſſit uero & in tantum excreuit apud gentes immodica ſepulchrorũ cura, ut aliquę nationes etiã mortuorũ monumenta impẽſius ſtudioſiusq́ curarent, quàm uiuorum domicilia: eos in primis falli exiſtimantes, qui breuioris & momentaneæ uitæ ędificia magnifica conſtruerent, ſepulchra ue-

ro in quibus æternum, uel certe diutiſsime quieſcendum ſit, negligerent. atq; inter hos maxime fuere Aegyptij, quorum moles immanes (ſic enim uerius quàm ſepulchra dixerim) à ſcriptoribus celebrantur. Rectius autem ac ſapiẽtius illi mihi feciſſe uidentur, qui in ſepulchrorum ſumptibus & eorum luxu, ne immodica erogaretur pecunia, modum per leges poſuerunt. Pittacus quidem unus, ut pleriſq; uiſum eſt, è ſeptem Grçciç ſapientibus, apud ſuos lege cauit, ne in conſtruẽdo tumulo, q̃ treís columellas plus ex penderent, cum antiquiores etiã aliqui gleba tantum contenti et ceſpite, corpora obtegerent: ibi enim fortunarũ diſpendium fieri non debet, quo incommutabili naturæ lege omnes peruenire compellimur. Et propterea à quibuſdam legibus interdictum accepimus, ne maiore opere ac impẽſa monumentum cõderent, quàm quod triduo decem homines conficere poſſent. Plato quidem decentiſsima monumenta parẽtibus, temperatiſsima tamen, fieri præcepit. Idem alio loco Philoſophus de ſepulchrorum inſtitutione plura præcepit, & Platonem ſecutus M. Tullius, quæ tibi breuitatis cauſa prçtereo. Sed quoniam omnibus per te ſcribendo prodeſſe cupimus, hac cauſa nec illa omittam, quç ad uocabulorum & uocũ proprietates hac in re pertinere uidebuntur, ut

qui

qui in uarijs legendis autoribus occupantur, planè intelligant quid quiſq; ſenſerit. Cadauer igitur proprie defuncti corpus à cadendo dicitur, quod Grȩci νεκρὸν uocauere: tametſi latine quidam mortuale, interdum morticinium uerterunt, ut Hieronymus, & ſacræ ſcripturæ interpretes. Transfertur tamen & ad inania quæ ſunt, ut urbiũ, ȩdium, & ſtatuarũ cadauera appellentur: id quod & Grȩci quoq;, ut cũ de Corinthijs fractis ſignis, νεκροκορινθίους dixerunt. Sepultos quoquo modo conditos, humatos uero humo iniecta cõtectos dici accepimus: quem morem ius põtificale cõfirmabat. Nam priuſq̃ gleba inijceretur, locus ubi corpus crematum eſſet nihil religionis habebat: iniecta uero ubi tumulo gleba fuiſſet, & humatum & gleba uocabatur, ac tum deniq; multa religioſa iura cõplectebatur. Hanc rem & Vergilium in VI. attigiſſe ſunt qui affirmant, cũ ait de Palinuro: Aut tu mihi terrã inijce. Itẽ Horatiũ in eo: Quanquã feſtinas, non eſt mora longa: licebit Iniecto ter puluere curras. Sed & ſepultos dicimus & tumulatos, & cõditos, et funeratos legimus: item ſitos: unde ſiticines uocabulum deflexum exiſtimatur: de quo hæc ferè Gellius & Marcellus ex collectaneis Attei Capitonis. Siticines, inqunt, appellatos legimus, qui apud ſitos, hoc eſt, uita functos canere ſoliti eſſent.

Amplius addit Gellius, ſiticines proprium habuiſſe tubæ genus quo canerent, à cæterorum tubicinũ proprietate differens, quos ſicinniſtas (ait) uulgus dicit. Qui rectius locuti ſunt, ſicinniſtas, litera n gemina dixerunt. Sicinnum enim genus ueteris ſaltationis fuit, quæ & ſicinnis dicit͛, de qua in dialogis noſtris de Poëtis commodius ex Polluce, Athenæo, Suida, Ammonio, alijsq́ meminimus. Nec illud ignores uelim, funus proprie dici cadauer iam ardens uel incenſum: exequię dum portatur: reliquię iam crematum & buſtum: cõditum uero iam ſepultum. Sed iam uaſa ipſa, hoc eſt, ſepulchrorũ nomina quibus frequẽter autores uſi ſunt, & cuius cauſa libellũ cõcinnauimus, adſcribemus. Sepulchrum ergo à ſepeliẽdo dictũ, ut inuolucrum ab inuoluendo: uerum uſu aſpirationem ſumpſit: unde & ſepulchretũ Catullus formauit, pro loco ubi multa ſepulchra ſunt: ſicuti à Græcis Polyandrion dicit͛, quod nos Chriſtiani cœmeterion uocamus. De Polyandrio apud nos D. Hieronymus, & alij quidam eius ordinis ſcriptores. Dicimus & tumulum, à terra in cumulũ erecta: & ſarcophagum, à ſaxi carnem exedentis genere. Tumba quoque nonnunquã uocatur ſepulchrũ: unde & tymbion, & hemitymbion, pro parua ſepultura. Cicero tamen tymbon buſtum interpretatur: unde et male-

maleficæ mulieres quæ in ſepulchris uerſantur, tymbades nuncupatę. Pro ſepulchro etiam interdum, arca, urna, & cippus capit: Item mònumentum, quod & Grȩci μνημεῖον. Vocatur & olla & ſolium, præcipue Plinio, Cùrtio, & Suetonio. Vſi ſunt & ueteres puticulo pro uetuſto ſepulturæ genere. Petronius Arbiter aliiq́ꝫ nonnulli cōditorium ſepulchri genus faciunt, id ſcilicet quòd Græci hypogęum, quòd ſubterraneum eſſet, uocauere. Conditiuum uidetur à Seneca quadam epiſtola dici. Mauſoleum præterea, ab eo quod in Caria fuit regis Mauſoli àb Artemiſia regina cōditum, ſępe uocatū legimus. Noſtri etiā Chriſtiani conchylia quandoq; appellauerūt. Itē ciboria, de quibus ex Græcis & Latinis alio loco plura. Sunt item quę Græci ἤρια, quæ ideo ſic uocata in Theocritum grammatici tradūt, quod mortuis iniiciatur terra quæ ἔρα dicitur. Alij ἤρια nuncupāt quæ noſtri ſuggrundaria, infantium ſepulchra, eorum uidelicet qui quadrageſimum diem necdū expleſſent. Rutilius Geminus & Platiades autores. Sunt qui ſuggrundia, & ſuggrūdaria uocent, quorū M. Varro meminit, ſed non pro ſepulchri ſpecie. Coragium Fulgentius pro uirginali ſepulchro uel funere interpretatus eſt, cuius rei cauſa à quibuſdam accuſatur, parū animaduertentibus, hoc ſine afflatu ſcribi, illud choragiū

cum afflatu. Meminit & Feſtus Pomp. Sunt & illa apud Iurecōſultos ſepulchrorum genera, quæ gentilia & familiaria dicuntur, hoc eſt, quę toti familiæ & genti comparata ſunt. Sunt item hæreditaria, quæ hæredes ſequuntur. Lectuli uero & lecti (ſic enim utroque modo uocati ſunt) quibus cadauera ad ſepulchrum deferuntur, tum feretrum etiam, tum capulus, tum ſandapila, tum demum & loculus. Videtur & locus expoſcere, ut eorum quoque qui funera curant nomina breuiter annotemus. Sunt uero in primis libitinarij, ut ſuprà meminimus, ſic à Libitina dea nuncupati, qui græcè dicuntur, teſte Vlpiano, νεκροθάπται, & interdū ταφεῖς & νεκροφόροι. Sunt & pollinctores ſic uocati, quod pollincere apud ueteres funus curare ſignificaret, quo uerbo uſus eſt Plautus. Sunt et ueſpillones ea ratione dicti, quod ueſperi in primis ſepelirentur uita functi. Sūt & ſandapilarij à ſandapila feretro nuncupati. Erant & deſignatores, de quibus alibi facta mentio. Sed enim nec hoc eſt prætermittendum, euerriatorē uocari eum, teſte Feſto Pompeio, qui accepta hæreditate, iurè iuſta facere defuncto debet: qui ſi non fecerit, ſeu quid in ea re turbauerit, ſuo capite luat. Id nomen ductum à uerrendo. Nam exuerræ ſunt purgatio quædam domus ex qua mortuus ad ſepulturam ferendus eſt,

quæ

quæ fit per euerriatorem, certo genere ſcoparum adhibito, ab extra uerrendo dictarum. His ita expoſitis, iam uarios ſepeliendi ritus moreſque adferam, ſi tamen illud te prius admonuero, eos quondam publico ferè hominum conſenſu ſepulturę honore carere, qui ſibi manus iniecisſent, quique, ut eſt Pythagoræ ſententia, iniuſſu Imperatoris ex ſtatione & præſidio deceſsiſſent, hoc eſt, qui ſe interemiſſent. Dignisſimum enim eſſe ait Egeſippus, eos qui Dei patris imperium non expectarent, priuari quodam quaſi matris gremio terrę ſepulchro. Alij tamen his dextram à cætero corpore abſcindebant, ea ratione, ne membrum quod ueſano quodam furore in corpus ſæuierat ſuum, cum eo pariter ſepeliretur. Eadem à Ioſepho traduntur. Hoc idem ſupplicium in patricidas & matricidas ſacrilegos antiqui irrogabant, ut ijdem Egeſippus & Ioſephus ſunt teſtes: quos tamen patricidas Romani in culeum, cum ſimia, gallo & uipera inſutos, in mare uel flumen proijcere ſolebãt: & meritò, ut indigni qui aliquo uitali fruerent elemento, qui eos à quibus uitã accepiſſent, ingratisſimi uiolaſſent, perdidiſſent. Sed ipſos iam ſepeliendi ritus proſequamur, atque à Romano populo, ut cæterarum gentium principe exor

dium ſumamus, tametſi apud eos non una, nec ſemper eadem fuerit cõſuetudo, nec ab omnibus obſeruata, quod uel ex his quæ ſcribit Plinius facile cognoſcas. Ipſum, inquit, cremare apud Romanos non fuit ueteris inſtituti: terra condebant, atque poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouerunt, tunc inſtitutũ. Et tamen multifarie priſcos ſeruauere ritus, ſicut in Cornelia domo nemo ante Syllam dictatorem traditur eſſe crematus, idque eum uoluiſſe, ueritum talionem, eruto ſcilicet C. Marij cadauere. Sed & Numæ Pompilij corpus in arca lapidea conditum legimus, quod multa poſt ſecula à Cn. Terentio in Ianiculo effoſſum, ſcriptores monumentis prodidere: qua de re ex diuerſis autoribus multa Plinius & Plutarchus, ut Lactantium & cæteros mittam. Manſit uero apud Romanos cremandi conſuetudo, ut à noſtris quibuſdam obſeruatum eſt, uſque ad Antoninorum Imperatorum tempora, quibus à pleriſque deſitum eſt corpora cremare, & rurſus terræ condere cœptum eſt. Romani igitur ubi animam ægrotus exhalare cœpiſſet, qui proximiores erant, ſi domi moriebatur, ſpiritum ore excipiebant, morientiſque oculos claudebant, quos oculos ſcribit Plinius rurſus in rogo patefacere, Quiritum magno ritu ſacrum fuiſſe: ita more condito, ut neque

ab

ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtendi nefas. Lege tamen Mania cauebatur, ut autor eſt Varro & Marcellus, ne filij parentibus luci claro oculos ſugillarent: minus enim licebat ut filij parentum oculos in obitu ſugillarẽt: quo loco Nonius ſugillare, pro occludere exponit. Scribit Plutarchus eos uulgò infelices uocari, quorum oculos propter abſentiam non potuerunt parentes obtegere. Poſtquam ergo moriens exhalauerat animam, cadauer ij quos libitinarios & pollinctores appellatos diximus, lauabant ungebãtq́, & ſi cremandum foret, pyra lignis alijsq́ rebus ſtruebãt pro hominis cõditione. Non enim eadem omnibus, nobili, ignobili, patritio & plebeio. Defuncti corpus albis ueſtibus induebatur, ut Plutarchus ſcribit: tum in pyra ueſtes, unguenta, aromata, & id genus cætera diſponebãtur: inde funerationem, quam appellabant, faciebant, hoc eſt, funeris pompa ducebatur. Filij operto capite parentes ſequebantur, ut autor eſt Plutarchus. Idem hoc tempore cuſtoditur à neceſſarijs & familiaribus in Italia, uariè tamen. Filiæ uero nudis & paſsis crinibus ſequebantur: cuius rei cauſas inquirit idem ille Plutarchus, inter quas cõmemorat, quod illa lugẽtibus accommodata ſunt, quæ minus ſunt uſitata. Nam cũ mos eſſet ut magis mulieres o-

perto capite in publicum prodirent, & con trà uiri aperto, contraria in luctu factitari ſolere ait. Apud Græcos ſi quid aduerſi accidiſſet, mulieres totondiſſe, uiros comas aluiſſe, conſueuiſſe. Alias inſuper cauſas attulit, quas breuitatis cauſa miſſas facio. Fuit uero antiquis mulieribus eiulandi mos, & comas genasq; lacerandi, id quod & hodie quo tibi hæc ſcribimus, in Sabinis & toto ferè Latio, et ſupra Latiũ, perſeuerat: quod tamen Romanis mulieribus duodecim tabularum legibus fuerat interdictum. Verba legis hęc ſunt: Mulieres genas ne raduntо, mulier faciem ne carpito, mulieres leſſum funeris ergò ne habento. Eſt autem leſſum, ut Lęlius & M. Cicero interpretantur, lugubris eiulatio, quam rem Sextus Aelius & L. Attilius, alioqui doctiſsimi, haud ſanè perceperunt. Sed miſsis his difficultatibus, cœptum ſequamur inſtitutum. Cum digitus defuncto incidebatur, ad quem ſeruatum iuſta fierẽt, reliquo corpore combuſto (quod factum, teſte Pompeio Feſto, membrum abſcidi mortuo dicebatur) mox cadauer curatũ ad pyram ſandapilarij & ueſpillones efferebant. Quo in loco, is qui neceſsitudine defuncto maiore iunctus erat, auerſus rogo facem ardentem inferebat: unde & conſuetudo illa manſit, uti faces & funalia funus antecedant & ſubſequantur. An tiqui

tiquiores nobiles nunquam ferè ſoli cōburebant: apud exteras nationes dico, id quod ex poëtis in primis collegimus, Vergilio, Statio, & aliȷs. Sed & Homerus in Patrocli funere famulos, equos, canésque crematos cecinit. Apud barbaros uero etiam uxores & ſeruos, ut retro planius oſtendemus. Illud obſeruatũ eſt quoque, ut maioris ætatis homines ad tubam efferrentur, quod et ad hãc diem ciues Romani cuſtodiũt: minores uero natu ad tibias. Fuit enim opinio, ut ſcribit Macrobius, mortuos ad ſepulturã cum cantu proſequi, quoniã animæ ipſę poſt corporis uincula ad originem dulcedinis muſicæ, id eſt, ad cœlum ipſum redire creditum eſt antiquis. Sunt qui ideo factum putent, quod anima ipſa à pleriſque harmonia exiſtimata eſt, quod in primis credidit Herophilus, et eum ſecuti. Mox ubi uſtulatum cadauer fuiſſet, buſtum dicebatur, cinerésque & oſſa cado colligebantur, amicis & cognatis circunſtantibus: tum defunctus funebri laudatione à propinquo laudabatur, quod cum ex aliȷs ſcriptoribus, tum ex Suetonio præcipue & Cornelio Tacito didicimus. Perfectis his, præfica nouiſsimum uerbum illud alta uoce pronũciabat, ILICET, quod eſt quaſi ire licet. Tum cineres & oſſa ſepulchro inferebantur, ante quod aram fieri ſolitam, Maurus Honoratus ſcribit. Poſtquã

uero omnia completa fuerant, extremum uale alta uoce pronunciabatur hoc pacto, Vale, uale, uale, nos te ordine quo natura permiſerit ſequemur. Sed meo quidem iudicio melius nullus nec elegantius omnia ferè quæ diximus executus eſt, quàm ſuo carmine Vergilius in ſexto Aeneidos, cũ de Miſeni funere ita cecinit:

Nec minus interea Miſenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.
Principio pinguem tedis & robore ſecto,
Ingentem ſtruxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt, decorantq́; ſuper fulgentibus armis.
Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusq́; lauant frigentis & ungunt.
Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasq́; ſuper ueſtes uelamina nota
Conijciunt. pars ingenti ſubiere feretro,
Triſte miniſterium, & ſubiectam more parentũ
Auerſi tenuere facem: congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres oliuo.
Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit,
Relliquias uino, & bibulam lauere fauillam,
Oſſaq́; lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter ſocios pura circuntulit unda,

Spargens rore leui, & ramo fœlicis oliuæ,
Luſtrauitq; uiros, dixitq; nouiſsima uerba.
At pius Aeneas ingenti mole ſepulchrum
Impoſuit, ſuaq; arma uiro, remumq; tubamq;,
Monte ſub aërio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, æternumq; tenet per ſecula nomen.

Atq; hactenus quidē Vergilius. Sed nunc uideamus quandiu fas eſſet lugere defunctos. Scribit Plutarchus, Numam Pompilium apud Romanos pro ætatibus temporibúsque defuncti, lugendi modum ſtatuiſſe. Puerum non lugeri trimo minorē, neque etiam natu grandiorē, neq; etiam plus menſe qui uixiſſet uſque ad annos decem: & reliqua quæ de græco exēplari caſtigato petenda ſunt, cum Latinum mendoſiſsimum ſit. Mulieribus quidem uiduis decem menſes, hoc eſt, per annum lugere maritum fas fuit: tantus enim à Romulo annus inſtitutus fuerat. Vnde in Faſtis poëta Ouidius,

Per totidem menſes à funere coniugis uxor
Suſtinet in uidua triſtia ſigna domo.

cum de anno decemmeſtri ageret. Idem Plutarchus à Numa inſtitutum ait, ut quæ ante decem menſes à mariti morte mulier nuberet, prægnantem uaccam immolaret. Leguntur & in Iuſtiniani Auguſti Codice adhuc illa uerba: Si qua ex fœminis perdito marito, intra anni ſpatium alteri feſtinarit

nubere,probro notet. Scribit Anneus Seneca,annũ fœminis ad lugendũ maiores conſtituiſſe, nõ ut tandiu legerẽt,ſed ne diutius. Viris nullũ legitimũ tempus fuiſſe,quia nullum honeſtũ. Hæc ille. Aliquos tamen in repub. uiros excellentes annuo matronarum luctu ornatos,legimus in hiſtoriȷs,ut Iuniũ Brutũ & Valeriũ Publicolam. Idẽ ex uſu noſtris mulieribus in mariti funere permittit. Sed mali adeò mores ætatẽ noſtrã inuaſere, ut quæ quintumdecimum diem,uel uigeſimum non expectauerint ad ſecundas nuptias,ego ipſe uiderim. Sed mores hos longe funere peiores, ſatyricis perſtringendos mittamus. Atenim ut honeſtum humanũq; putamus mortuos lugere,ita Stoicos quoſdam inhumanos non ſatis probamus, qui maximum flendi ius in diem unum duntaxat ſtatuũt,idq; poëtę Græci teſtimonio cõprobatum uolunt,qui Nioben infelicem illam matrem poſt tot filiorum necem de cibo cogitaſſe inducit: quibus et ego alios poſſem poëtas & Gręcos & Latinos adducere, qui eam nimio lachrymarum fietu in ſaxum diriguiſſe cecinerũt, perpetuis quaſi lachrymarum guttis manans. Sed nos hæc fabuloſa mittamus. Ludos quoq; funebres & Græci & Romani inſtituerunt, ut ſuprà meminimus, quos incœptari tuba uel ex hoc Vergilij carmine cognoſcimus: Et tuba cõmiſſos

medio canit aggere ludos. Qui uero ludis prę erant, deſignatores uocabantur: quo nomine & qui funera curant nonnunquam dicti ſunt. Funebrium autem ludorum principium à Græcis incœpiſſe, manifeſte oſtēdit Homerus, à quo ſuos funebres ludos Vergilius & Statius deſumpſere. Ea uero funera quibus ludi adhibebantur, ſimpludearia dicta ſunt, ut ex Ticinio antiquiſsimo poëta colligitur. Indictiua autem ea dicebantur quibus non modo ludi adhibebantur, ſed & deſignatores, atque ideo ampliſsima putabantur. Dicta uero eo nomine, quod per prę cones indicerentur, ut Feſtus ſubinnuit: tametſi eo loci perperàm quidam inductiua ſuppoſuit. Lectos præterea & lectiſternia in Romanorum exequijs deferri ac conſtrui ſolita à potentioribus legimus, ut in Marcelli pompa ſexcenta, in Syllę ſex millia, quod pro fortunę qualitate ſcribit factũ Seruius grammaticus. Sed & nonnũquam imagines & ſigna in funeribus præferebantur, ut Lactãtius ſeu Lutatius grammaticus obſeruat in Papiniana Thebaide, in miraculum uidelicet ſpectantium. Idem etiam innuit Horatius cum ait, Atque imagines ducunt triumphales. Statius quoq;, Exin magnanimum ſeries antiqua parentũ Inuehitur. ut hiſtoricos hoc loco, Suetoniũ et alios miſſos faciam. Solebãt cum primis reges ac

principes urbium antiquitus, quod & noſtris temporibus fieri uidimus põtificib. maximis, tumulari cõdiq́ꝫ cum gemmis aliisq́ꝫ opibus. unde exit illud Satyrici Perſij: O ſi ebullet patrui præclarũ funus. Tametſi paſſim alio modo exponi à grãmaticis ſoleat. Certe ego in urbis direptione cũ alia ſepulchra pleraq́ꝫ effodi uidi, tum Iulij ſecundi ſepulchrum, ex quo inter cætera Cęſariani milites anulum ſuſtulerunt, in cuius pala Sapphirus erat incluſus ingentis precij, quẽ Auguſtinus Triuultius Card. multis aureis redemit. Vidimus pręterea et arma & ocreas uetuſtis in monumentis repertas. Sed & hiſtoriæ de ſepulchris agunt in quibus theſauri inuenti ſunt. Redeo nunc ad ſepulturas. Erat & earum genus illud, quam noſtri imaginariam & inanem, Gręci cenotaphion uocant, cũ mortuo iuſta abſente cadauere perſoluerẽtur. Cenotaphium Tranquillus Suetonius honorarium tumulum appellaſſe uiſus eſt, cum de Druſo agit. Cęterum, inquit, exercitus honorarium ei tumulũ excitauit, circa quem deinceps ſtatuto die quotannis miles decurreret, Galliarumq́ꝫ ciuitates publice ſupplicarẽt. Funus imaginariũ in Pertinace Capitolinus uocat. Funus, inqt, imaginariũ ei et cenſoriũ ductũ eſt. Legitima uero ſepultura uocabat̃, cũ defuncti corpus adeſſet, Erat & aliud ſepulturæ genus, quod per

pul-

pulueris uel terræ uel glebę iniectionem celebrabat,cuius Maro & Horatius, aliȷq́ꝫ meminere,atqꝫ in hos in primis grãmatici. Id uero ſecundũ pontificalẽ ritũ,& circa cadauer, & circa abſentis corpus ſolennibus quibuſdã ſacris fieri cõſueuerat,quod & M. Cicero in legibus affirmat,& nonnihil ego ſuprà retuli. At ſi fortè defunctus domi nõ extinctus erat cui exequię celebrãdę fuerãt,domum referebat,ubi dies ſeptẽ ſeruatus,octauo incendebat,nono ſepeliebat, unde & nouendiales pulueres uocat Horatius. Sed & ludi funerales,nouendiales aliquando dicti ſunt, & ſacra ipſa nouẽdialia. Quare nos noſtro quodã hendecaſyllabo,rudes & inertes ſemper ſepulturis & cadaueribus quaſi uultures inhiãtes, ſacerdotes nouendiales, uulturios,iocoſe certe,ſi minus recte,appellauimus: ita enim ad Alexandrũ Rangon, noſtri Herculis fratrẽ,cum nephriti ego & renum doloribus urgerer,nec orationi dicendę propterea intereſſe poſſem,cecini:

At uobis male ſit mali dolores,
Bonis qui bona ſemper inuidetis,
Quin urgete popas rudes inertes,
Iſtos uulturios nouendiales.

Ad hęc & denicales feriæ ab antiquis celebrãtur,cum hominis mortui cauſa familia purgabat, παρὰ τὸν νεκρὸν nuncupatę,ut putat Sextus Pompeius, quanquã & non for-

taſsis inerudite,ſi à denarij numero deriuentur. Poſt nonum enim diem quo tumulo cineres condebantur, decimo purgabantur. De his & Columella & Feſtus Pompeius meminerũt. Sed & M. Tullius in libris de legibus, tametſi locus parum ſyncerè legitur, ut eſt locupletius obſeruatum in noſtris annotatis. Februa quoque à Romanis menſe Februario Diti patri celebrabantur, de quibus, ut alios mittam, copioſe & ornate agunt Ouidius Faſtorum libro ſecundo, & Feſtus Pompeius. Videtur et hoc loco operæprecium tibi referre Cæſarũ & Imperatorum conſecrationẽ, quam ἀποθέωσιν Græci uocant, idq́ Herodiani præcipue uerbis, ut ſunt à Politiano in latinũ conuerſa. Mos eſt, inquit, Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filijs uel ſucceſſoribus moriuntur: quiq́ ſunt eo honore affecti, relati dicuntur inter diuos. Eſt autem tota urbe quaſi luctus quidam feſtę celebritati promiſcuus: quippe functum uita corpus ritu hominum ſumptuoſo funere ſepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quamſimillimam effingũt, eamq́ in regiæ ueſtibulo proponũt ſupra eburneum lectum maximum atque ſublimem, ueſtibus inſtratum aureis. & quidem imago illa ad ægroti ſpeciem pallida recumbit: circa lectum uero utrinq́ magnam partem diei ſedent, à læua quidem ſe-

natus omnis ueſtibus atris amictus, à dextra uero matronæ quas uirorum aut parentum dignitas honorabiles claráſque reddit. Harum nulla uel aurum geſtans, uel monilibus ornata cōſpicitur, ſed ueſtibus albis exilibus indutæ, mœrentium ſpeciem prębent. Hæc itaque per ſeptem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inſpectumq́; uelut ægrū, deterius ſe habere ſubinde pronūciantibus. dein ubi iam uiſus obijſſe diem, lectum humeris attollūt equeſtris ſenatorijq́; ordinis nobiliſsimi ac lectiſsimi iuuenes, ac per uiam ſacram in uetus forum deferunt, ubi magiſtratus Romani deponere imperiū conſueuerunt. Vtrinq; autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinē extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus eſt, è nobiliſsimis atq; patritijs, altera fœminarum illuſtrium hymnos in defunctum pæanasq́; canentium, uerendo ac lamentabili carmine emodulatos: quibus peractis, tollunt iterum lectum, atq; extra urbem perferunt in Martium campū, ubi quamlatiſsime campus patet. Suggeſtus quidam ſpecie quadrangula lateribus ęquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam: id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro ſtragulis atque eboreis ſignis, uarijsq́; pi

ęturis exornatum:infrà uero alterũ minus quidem poſitum eſt,ſed forma et ornatu per ſimile,portis ianuisq́; patentibus:tertium item et quartũ ſemper ſuperiore cõtractius, ac deinceps alia,donec ad extremum, quod eſt omnium breuiſſimum, perueniatur. Poſſis eius ædificij formam comparare turribus ijs quę portibus imminẽtes,noctu igne prælato naues in tutas ſtationes dirigunt, pharos uulgò apellãt. Igit lecto in ſecũdum tabernaculum ſublato,aromata et ſuffimẽta omnis generis, fructus, herbas, ſuccósque omnes odoratos cõquirunt, atq; aceruatim effundũt:quippe neq; gens eſt, neq; ciuitas, neq; qui honore ullo aut dignitate prę cellat, quin certatim pro ſe quiſq; ſuprema illa munera principis honori deferãt. Vbi uero ingens aromatum aceruus aggeſtus eſt,ac locus omnis expletus,tum circa ędificiũ illud adequitant uniuerſi equeſtris ordinis certa quadam lege,ac recurſu motuq́; pyrrhichico numeroq́; in orbẽ decurrẽtes. Currus itẽ circũagunt, inſeſsi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferant ducũ omniũ Romanorum, principũq́; illuſtriũ:quæ ubi celebrata ſunt,facem capit Imperij ſucceſſor,eamq́; tabernaculo admouet,tum cæteri omnes undiq; ignẽ ſubijciũt,cunctaq́; illico fomitibus illis aridis odoramentisq́; referta igne ualido corripiũtur,mox ab extremo minimoq́;
taber-

tabernaculo tanquam faſtigio quodã ſimul cũ ſubiecto igni aquila dimittit̃, quę in cœlũ credit̃ ipſam principis animã deferre: ac iam ex illo unà cũ cęteris numinibus Imperator colitur. Atq; hęc ita quidem ex uerbis Herodiani. Illud uero hoc loco tibi animaduertendum, quod tabernaculũ illud extremum recte faſtigiũ nuncupatũ eſt: nam & hoc apud autores, & in nomiſmatis quibuſdã ſe obſeruaſſe ait uir antiquitatũ ſtudioſus, amicus meus. Et quidẽ eſt penes me argenteum nomiſma dono mihi datũ à B. Diuitio Bibiennate, D. Marię in porticu Card. in quo inſculptũ eiuſmodi eſt tabernaculũ cum inſcriptione, CONSECRATIO. Poſt hãc autẽ apotheoſin ſacerdotes et ſodales, ipſis in diuorũ numerũ relatis Cæſarib. de ipſorũ nominib. nũcupatos attribuebãt, de quibus crebra eſt mẽtio apud ſcriptores. Aliꝭs longe diuerſa à Chriſtianis fiũt, cũ à Romano põtifice maximo, in diuorũ ſanctorũq; numero quiſpiã refertur. Nuper à Leone x. pont. max. magna celebritate & religione, cerimoniꝭsq; omnis generis cum in maiorum & minorũ pontificum, tum cæterorũ promiſcua hominũ frequentia celebrari cõſpexi, cum in diuorum numerum D. Franciſcum Paludem, uirum inſigni pietate ac religione, retulit. Idẽ poſtea iterum conſpexi, Adriano VI. pont. max. in ordinem diuorum Antoninum Floren-

tinum præſulem, & Beronem Germanũ referente. Sed de his iam ſatis. Nũc Romanis funeribus Aegyptiorum iure ſubiunxerim, ut poſt rerum dominos, uetuſtiſsimæ gentis inſtituta ſubtexam: atque in primis de eorum regum ſepultura agam, quæ multo apparatu celebrabatur, ut Diodorus ſcribit. Cum enim, inquit, regum Aegyptiorum aliquis è uita deceſsit, illum omnes communi luctu deflent, ueſtes diſcindunt, templa clauduntur, iuſtitium indicitur, feſtiuitates non celebrantur, luto caput fœdant, totos duos & ſeptuaginta dies linteo ac ſindone ſubtus mammas cingũtur, CC. aut CCC. permixti ſexus bis interdiu urbem luſtrant, luctũ leſſumq; nouantes, regisq; uirtutes ad numeros commemorant: cibis coctis, uino, omni denique menſę apparatu abſtinent, nõ lauacris, non balneis, non unguentis, non ſtragulatis lectis, nec uenere deniq; utuntur: ſed per eos continuos dies mœrore & luctu afficiuntur. Interea quæ ad pompam faciunt, comparant. Poſtremo uero die cadauer in arca repoſitum, ante ſepulchri aditum collocant, libellumq; de rebus à rege geſtis breuẽ recitant, tum ſi qui ſunt qui uelint, regem uituperant. His autẽ omnibus præſentes ſunt ſacerdotes, qui ſingula cenſent: adeſt & populus, qui regum laudibus applaudit, uitijs reclamat. Quare factum eſt, ut Aegyptiorũ

regum

regum aliqui indigni exiſtimati ſint ut ſepul turæ honore honeſtarentur. Atque ita quidem Aegyptiorum regum exequiæ celebra bantur. Priuatorū uero & popularium ſic. Cum quiſpiam fato functus eſt, propinquī & amici luto caput deturpāt, ciuitatémque deflentes circumeunt, interim neque lauantur, nec niſi uile quippiam edūt bibúntque, neque ſplendidis utuntur ueſtibus. Sepulchrorum apud ipſos tria habentur genera, ſumptuoſum, mediocre, humile. In primo argenti talentum, in altero minas XX. in ultimo quid minimum exponunt. Qui funera curant, eorum impēſam domeſticis afferunt, petentes quanti uelint funus apparari, atque ita inter ſe componunt. Primus igitur deſignator, quem Grammaticum illi appellant, humi cadauere depoſito, circa illius ilia deſcribit quantum à ſiniſtra parte incidendum ſit: dein qui ſcindit, lapide Aethiopico, quantum lateris deſignatum eſt à Grammatico, aperit, ſtatímq; currens profugit, quem tum aſtantes lapidibus & execrationibus inſequuntur: mox qui ſalitores nuncupātur, cadauer in templo delatū, per, quæ facta eſt, ſciſſuram expurgāt, omnibus eductis inteſtinis & interaneis, pręter cor et renes, quę ab alio quopiam uino phœniceo lauantur, odoramentisq; linuntur, mox reliquum corpus cedro unguentisq; dies am-

plius triginta perungunt ij quibus hæc cura eſt, myrrhaq́ꝫ ac cinnamomo, alijsq́ꝫ rebus odoriferis perlinunt, quibus rebus cadauera à corruptione conſeruãtur. Vbi deſignatores ita corpus curarunt, ut integrũ cũ ſupercilijs, palpebris, cæterisq́ꝫ membris in dormiẽtis modum quieſcere uideatur, tum illud ipſius cognatis tradũt. Multi uero Aegyptiorum, maiorum ſuorũ corpora domi multo ſumptu ſic expurgata cõdiunt, & eorum etiã imaginibus ualde oblectantur. Alij autem antequam ſepulturæ mandent, cum iudicibus ad hanc rem deſtinatis diem indicunt exequiarũ. Mortuũ enim Acheruſiam paludem, quã & Styga quidam nuncupãt, tranſiturum exiſtimant, quam prope Memphim eſſe autores prodiderũt. Hanc rem ex Seneca aliter Seruius recitat: ait enim circa Syenem locum eſſe, quẽ Aegyptij phylas uocant, apud quem palus eſt Styx, quod triſtitiam tranſeuntibus gignat, limoſa & papyris referta: ultra quam breuis eſt inſula quæ Abatos appellata eſt, quod ſit inacceſſa, cuius & poëta Lucan. meminit: Hic Abatos quam noſtra uocat ueneranda uetuſtas. Lectum eſt etiam quod uicini populi ſuorum cadauera ad alteram regionem transferũt. Sed ſi quis fortè in fluuio pereat, nec eius corpus inueniat̃, poſt centũ annos ei perſoluuntur officia: atq́ꝫ hinc illud propterea dictum

eſt

eſt à Vergilio: Centũ errant annos. Trãſmiſſa uero palude, adſtant iudices amplius quadraginta in hemicyclo pręparato, trahiturq́; nauis, quæ ab illis βάρις dicta eſt, à Græcis ἐπίβαθρα, ad hoc opus ab illis comparata, quibus ea cura imminet. Eam uero nauim, nauta qui ab ipſis Charon nũcupatꝛ, regere dicitur, cui pro naulo danacen ſoluere cõſueuerũt (id oboli ſeu pecunię genus eſt, à danais, hoc eſt, uita functis, uel quod δάνα arida dicuntur, appellatum, adeò ut inde prouerbiũ emanarit, Danace, quod dicitur de ultimis bonis, alijs uel cõſumptis uel amiſsis.) Sanè Gręci ſcriptores Melittutan maſſam quampiam melle conditam ſeu offam eſſe tradũt, quæ cũ danace uel obolo uita functis dabatꝛ in portitoris mercedẽ. alij tamen offam Cerbero offerri prodidere. Sed ad Aegyptiorũ inſtituta redeo, quæ primum ab Orpheo, & mox à Vergilio, de Charonte & inferis tradita ſunt, id quod & ante me antiqui Grammatici obſeruauere. Igitur ultra ripã antequam in arcam corpus cõdatur, deducta in palude naui, uolenti cuicũq; mortuum accuſare conceditur. Si quis ab iudicibus fuerit, ut malus, reprobatus, ſepultura caret: & qui itidem iniuſte damnaſſe cõuincitur, graui pœna punitur. Poſt hæc cognati compoſito luctu & lachrymis demortui hominis laudes recenſent, non eo utique modo quo

Græci & Latini conſueuerunt,qui genus,familiam,opesq́ue celebrant:ſed defuncti ipſius à pueritia facta, mores, doctrinam, iuſtitiã, continentiam,pietatem,religionẽ, cęterasq́ue uirtutes perſtringunt,deosq́ue maneis inuocant, precanturq́ue ut inter pios illum reponant.quibus tota adſtantiũ concio lęta quadam uoce reſpondet. Tum demum cadauer à domeſticis & familiaribus ſepelitur in proprijs ſepulchris. Sed quibus ea deſunt,domi apud firmiorem parietem arca ſuſpẽditur. Qui uero ob aliquam ignominiæ cauſam ſepultura priuãtur,domi quidem ſine arca ſeruantur:quorum ſi ignominiã & delicta poſteri eluẽt,magnifice,ut alij,tumulãtur. Fuit & illa apud Aegyptios conſuetudo,ut creditoribus in pignus darent parentum corpora,quæ qui nõ redemiſſet,perpetua infamię nota inurebatur. Lucianus tamen & Sextus Empericus hoc tantum de Aegyptiorũ ſepulturis tradũt,eos inteſtina educere,dein corpora ſalire. Chryſippus & Cicero condire & domi ſeruare. Plutarchus in Sympoſio, cadauera aperire, apricoq́ue aliquo loco ſoli exponere,inteſtina in flumen iacere,reliquũ purgatũ corpus aſſeruare. Strabo uero, ab alijs quidem cadauera in flumen præcipitari,ab alijs uero nitro circundata domi ſeruari,ab alijs in uaſis fictilibus,alueolisq́ue quibuſdam circum templa defodi & condi. Herodo

rodotus, & Herodotum ſecuti, ſcribunt in hūc propè modum: Vbi uita functus homo eſt, ferro incuruo inflexoq́ꝫ ad hoc parato cerebrum per nares mortuo educi, locum medicamentis expleri, inteſtinisq́ꝫ purgari, et lapide, ut diximus, Aethiopico ilia diſcindi, odoramentis cōpleri, mox conſuto ilij uulnere, nitro ſaliri, LXX. dies, quod ultra non liceret, lugeri (quare Moſes cum de Iacobi morte agit, qui in Aegypto deceſsit, illū, ait, Ioſephi filij iuſſu ibi tum præpotentis, more Aegyptio quadraginta diebus conditū, defletūq́ꝫ ſeptuaginta fuiſſe) inde cadauer linteamine inuolutum, gummiq́ꝫ illitum, in ligneam hominis effigiē ad hoc paratā componi. Alterum dehinc ſubdit idem Herodotus mediocrium ſepulturę genus, tum et tertium, ſed quæ nihil ferè differant, niſi ſumptu, ut etiam ante diximus. Demū uero ſubdit: Vxores tamen inſignium uirorum non ſtatim uita functas tradunt condiendas, ac ne eas quidem fœminas quæ conſpicuæ ualde & maioris momenti fuere, ſed triduo atq́ꝫ quatriduo exanimes cuſtodiunt, ea ſcilicet cauſa, ne cum ipſis mortuis ſalinarij concūbant. Quippe aliquando aiunt quendam ex ipſis coēuntem cum recenti formoſæ mulieris cadauere deprehēſum, remq́ꝫ à ſocio indicatam. Id quoque obſeruant Aegyptij, ut cum quis Aegyptius uel hoſpes compertus

ſit mortuus,ſiue flumine ſummerſus, ſiue à crocodilo raptus,ei ciuitati ubi repertus,uel ad quam deiectus ſit,neceſſarium eſſe illum cōdire,et honeſtiſsimo funere in ſacris monumētis ſepelire,quæ nulli,niſi Nili ſacerdotibus,fas ſit attingere: eos enim ſupra homines neſcio quid exiſtimant. Cur uero Aegyptij,ut pleriq; omnes, ſuorum cadauera nō cremarent,hāc Herodotus rationem affert: Aegyptij, inquit, perſuaſum habent ignem animatam quandam eſſe belluam,quę, quęcunque nanciſcitur, deuorat atque conſumit:at cum eſt expleta,ipſam et quę ab ea uorata ſunt,unà emori: & propterea nec cremare,nec belluis offerre corpora,ut aliæ pleræque nationes,Aegyptij ſtatuerunt, ſed ea condire ac ſalire ne etiam à uermibus conſumi poſſent. Atque hactenus de Aegyptiorum funeribus dictum. Eundem ritum ab Aſſyrijs ſeruari quidam tradunt: uerum illi potius cęra & melle mortuos condiunt, aſſeruantq; conditos. Reges ſuos in paludibus relinquunt. Sed & quæ Scytharum & Gerrhorum pręcipue inſtituta legimus,hoc adſcribamus loco,atq; regū in primis, quorum ab alijs eſt diuerſus ſepeliendi modus. Nanque, ut Herodotus ſcribit, rex ubi deceſsit,ingentem & quadratam ſcrobem effodiunt, dein regis corpus exenterant, cæráque illud undique circunlinunt, aluum
optime

optime expurgant, &ſilere cõtrito, thymiamate, apij ſemine, & aniſi complent, reſutum'q; cadauer ad alias gentes plauſtro deferunt, quod illę excipientes aurem recidũt, crinem circuntondent, brachia circuncidunt, frontem naſum'q; ſauciãt, manum ſiniſtrã ſagittis traijciunt, poſtmodũ cadauer ad aliam rurſus gentem cui imperitent carpento deuehunt, atq; inde referunt eò unde prius diſceſſerant, omnibus regem comitantibus ad id deſtinatis. Simulac uero luſtratæ ſunt omnes nationes quibus rex uiuens imperabat, apud illas quę in extremis habitant reponunt, cadauer'q; ſuper torum in loculo componentes, haſtas hinc et hinc defigunt, & deſuper ligna diſponunt, & pallio contegunt. In altera uero loculi parte aliquam ex regijs concubinis iugulatam ſepeliunt, atque unà pocillatorem, coquum, equiſonem miniſtrum, & qui regis erat à nuncijs, equóſque, & aliarum rerum omnium primitias, cum ijs etiam phialas aureas, alia'q; huiuſcemodi. Hanc tamen Seruius Grammaticus Indorũ eſſe conſuetudinẽ exiſtimauit. His autem quæ iam retulimus, circa regis inferias expeditis, humum certatim omnes inijciunt, quammaximum tumulum ſtruere parantes. At ubi annuum exactum eſt ſpatium, itidem rurſus agunt, quinquagintáque ex ſeruis ingenuis ſtrangulatos

mactant,totidemq́; equos,quos eductis inteſtinis palea replēt,eosq́; tum quinquaginta iuuenes tum equos tignis traijcientes,dirum ſpectaculum ſepulchro regio circumponunt. Atque hę quidem Scytharum regū inferiæ. Priuatorum uero & reliquorum ad hunc modum fieri ſolent. Defunctorū corpora condiunt,eaq́; plauſtris impoſita proximi ad amicos circūferunt: qui cadauer ſuſcipientes, epulū ijs qui illud ſequūtur exhibent: & in hunc modū quadraginta diebus priuatorum hominū comitatus circumagitur,poſthæc humatur, ſi prius tamen cadauer hoc modo expurgauerint. Caput cerebro euacuāt, abluuntq́;:circa corpus tria ligna ſtatuunt hinc inde procumbentia: circum hæc lanea pilea obtendunt quammaxime poſſunt conſtipantes,& in ſcaphā inter ligna pileaq́; poſitam, lapides igne candentes inijciūt,ſuper quos ſemen cannabis, quæ apud illos precioſiſſima naſcitur,imponunt,unde uapor exhalat omni Græcorum ſuffimento odoratior:quo ſtupentes odore Scythæ eiulant flentq́;,id quod eſt apud eos lauacri loco. Neque enim corpora lauant, ſed eorum uxores aquam infundentes, cupreſſo,cedro,aut thuris ligno,ad ſcabrū aliquod ſaxum corpus atterunt,mox cum intumuerit,illud medicamentis quibuſdā perlinūt,& ſimul faciem,quæ poſtero die,amo-

tis

tis medicamentis, conſpicua ſplendidaq́ apparet. Alios eſſe Scythas legimus, qui inter epulas defunctorũ corpora deuorãt, quod Lucianus & Tertullianus ſcribũt. Sed quoniam ampliſsima latiſsimaq́ eſt Scytharum regio, ſunt ex ijs aliqui, quibus ferè perpetuæ ſunt niues, qui parẽtum cadauera inter niues ipſas & glaciem truncis affixa arborum ſuſpendunt, arbitrati flagitium et ſcelus eſſe ea terræ mandare. Scribit Stobæus, Tauros gentem Scythicã, qui & Taurici dicti ſunt, cum regibus extinctis gratiſsimos eorum amicos ſepelire. Si uero amicus aliquis regi interierit, pro illius merito regem, aut totam, aut partẽ auris abſcindere. Apud eundem Stobæum legimus, Sindos id moris habuiſſe, ut tot piſces in ſepulchrũ conijcerent, quot hoſtes qui ſepeliretur interfeciſſe conſtaret. Aethiopas diuerſos eſſe, autores qui de orbis ſitu ſcripſerunt, manifeſte oſtendunt. Atlanticos tamẽ in Africa in primis celebratos inuenio, quorum ſepeliendi inſtituta Scythicis ſubiungere non ab ordine alienum mihi uiſum eſt, ſi prius tamen de regum morte in mediũ attulero. Scribit Diodorus, ſacerdotes qui circa Meroën inſulã deorum cultui aſſiſtentes inſeruiunt, maximam præcipuamq́ autoritatem habere, eamq́ in primis, ut cum opportunum eis uiſum ſit & expedire, regibus ſignificare ut

ſponte mortem oppetant, quibus dicto audientes reges, nullatenus abnuẽtes, uoluntariò eam ſubeunt: aliquosq́ue apud illos eſſe, qui cum rege libenter occumbant. Nec deeſſe, qui ſi fortè rex aliqua ſui corporis parte debilis ſit, ut regem imitentur, ea ſe parte mutilant, priuantq́ue: adeò uerum eſt quod à lepido poëta canitur, Mobile mutatur ſemper cum principe uulgus. quod & à philoſopho multò ante ſcriptum fuerat. Priuatorum uero Aethiopum, quemadmodum diuerſam eorum regionem, ita uaria quoque ſepeliendi inſtitutio. Alij quidem defunctos in fluminibus abijciunt, id elementum optimum ſepulchrum arbitrantes. Sextus quidem Empericus hos Ichthyophagos nuncupatos ait, hoc eſt, ut quidam uerterunt, Piſcedulos: ídque ea ratione ab ipſis fieri prodit, ut à piſcibus cadauera uorentur, quod piſcibus ij uictitent. Alij ſunt Aethiopes, qui uitreis uaſis concluſos mortuos ſuos conſeruant, ut nepotibus & poſteris eorum ſint notæ effigies, & idcirco eorum ſæpe ſint memores. Herodotus tamen rem ita explicat: Poſteaquam, inquit, Aethiopes, qui Macrobij uocantur, mortuum arefecerunt, totum gypſo inducunt, picturáque exornant, & eius quoad fieri poteſt effigiem repræſentant: dein ſepulchrum ei è uitro

quod

quod apud illos abundat & paſsim effodi-
tur, circundant, in cuius medio defunctus
interlucet, nihílque fœditatis, uel tetri odo-
ris exhibet, ſed omnia penè uiuo aſsimilis.
Sepulchrum hoc ipſum propinqui per an-
num intra ædes ſeruant, omniúmque illi re-
rum primitias offerunt: anno uero exacto
efferunt, extráque urbem ſtatuunt. At eo-
rum alij fictilibus urnis cōdientes, circatem
plorum ſepta ſepeliūt, & per hoc maximum
habent iuſiurandum. Quidam & Satis hoc
attribuunt, uti retro diximus.

Indorū quoque multiplex uariaq; ſepeli-
endi conſuetudo. Quidam parentes priuſ-
quam annis aut morbo aliquo in maciem
ſeniúmque eant, uelut deorum hoſtias ma-
ctant, cęſorúmque uiſceribus epulari fas &
maxime pium eſt: at ubi ſenectus aut mor-
bus inceſsit, procul à cæteris abeunt, mor-
témque in ſolitudine nihil anxij ſolicitiue
expectant. His prudentiores, quibus ſapi-
entiæ ſtudium contingit, mortis tempus
non expectant, ſed ſemet ignibus ingerēdo,
eam læti ac hilares accerſunt. Scribit Egeſip
pus, eos primum proteſtari quod diſcedere
uelint, nec ideo ullum obſtrepere. Deinde
ubi apparatus mortis proceſſit, eos lætos in
ſilire ardentem pyram, & adſtantibus ua-
ledicere: dolere quidem mulieres quaſi ſub-

ſidio deſtitutas, & paruulos liberos quod derelinquãtur. Alios uero cæteros benedicere, nec inuidere quod meliores ipſi ad ſplẽdidiora loca, & ad puriora conſortia feſtinẽt. Hoc idem & ſuo carmine Lucanus teſtatur: Quique ſuas ſtruxêre pyras, uiuiq́ꝫ calentes Conſcendêre rogos. Hunc, inſuper & aliũ alias nationes moriendi morẽ habere legimus, ut dicemus. Padæos gentem Indicam, ſcribit Herodotus, ægrotantes interimere, ac epulari, mulieréſque mulieribus idem officij præſtare, etiam ſi ſe negent ægrotare: qua cauſa, inquit, pauci apud eos ad ſenectutem peruenire dicũtur: & ſi perueniant, mactati itidem comedũtur. Plinius apud Indos linum gigni prodit, quod Latini uiuũ, Græci asbeſtinon ex argumento naturæ uocant, quod ignibus non abſumitur. Ex eo factas Plinius ſe uidiſſe mappas ait, & ego ab alijs hoc tẽpore audiui. ex eo funebres confici ſolebãt tunicæ, quę regũ fauillam corporis cremati ab reliquo ſepararẽt cinere. Maurus uero Honoratus in commentarijs Vergilianis Indorum conſuetudinẽ ſcribit fuiſſe, ut quoties eorum reges moriantur, cum his dilecti equi, ſerui, & una de uxoribus quæ regi charior fuiſſet, incenderetur: inter quas de hac ipſa re magna erat cõtentio. Solinus, alijq́ꝫ nõnulli, nõ modo regum uxores hoc facere, ſed & priuatorum prodiderunt.

runt. Solini uerba adſcribam. Apud Indos, inquit, quibus ad uiuēdi rationem propenſior cura eſt, multæ uxores in eiuſdem uiri coëunt matrimonium: & cum maritus homo eſſe deſierit, apud grauiſsimos iudices ſuam quæq; de meritis agunt cauſam: & quæ officioſior cæteris ſententia uicerit iudicantium, hoc palmæ refert pręmium, ut arbitratu ſuo aſcendat rogum coniugis, & umbris eius ſemetipſam det inferias: cæterę nota uiuunt. Lucianus uero Indos μυέλῳ, hoc eſt, medulla circunlini. Alij Indis qui Macrobij cognominati ſunt, hoc ipſum attribuūt. In uulgatis Luciani codicibus male, ut puto, ὑάλῳ pro μυέλῳ legitur. Diuerſa ab his Sextus Pyrrhonius. Indorum enim, ait, aliqui uulturibus cadauera lancinanda exponunt. Aliqui Taxilis hoc attribuunt, ut Hieronymus ſcribit, & ante Hieronymum Ariſtobulus, ut eſt apud Strabonem, qui Taxilā urbem locupletiſsimam & inſignem Indiæ ſcribit: quin eius regē Taxilum, quod recte ſe erga Alexandrum geſſerat, ab eo honoribus, ad inuidiam reliquorum, accumulatū. Alij hoc quod diximus de uulturibus, Iberas factitaſſe prodiderunt. Sed mirum hoc, cum Procopius hac ſolum cauſa à Perſis bello prouocatos ſcribat, quod Chriſtianorū ritu defunctorum corpora ſepelirent: uerū hoc potuit diuerſis temporibus contigiſſe.

Indicam inſuper gentem Calaciæ ſcribit He
rodotus, quæ parentibus ueſcatur: unde,
inquit, interrogatos à Dario quantum pe-
cuniarum peterent ut patres igne crema-
rent, illos reſpondiſſe, iube rex meliora omi
nari. Sunt & apud Indos ſapiẽtes Brachma
næ, qui mirabiliter mortem contemnunt;
quod cum ab alijs, tum à Strabone tradi-
tur, ſeq; ad eius contemptum mire exerce-
bant. Idem Megaſthenes prodidit. Notiſ-
ſima eſt de Calano hiſtoria, qui ſe ultro in-
cendio obtulit, cũ iam mori decreuiſſet. Ni-
colaus Damaſcenus & philoſophus & hi-
ſtoricus, ſcribit à ſe uiſum Zarmanochegan
Indum, qui ſatis fortunatus Athenis ſe cre-
mauit, quod abunde uixiſſet: in cuius tumu
lo ita inſcriptũ fuit, ζαρμανοχήγας ἰνδὸς ἀπὸ βαργό
σης κατὰ τὰ πάτρια ἰνδῶν ἔθη, ἑαυτὸν ἀπαθανατίσας κεῖται.
hoc eſt, Zarmanochegas Indus ex Bargoa,
iuxta patrios Indorum mores ſeipſum im-
mortalem faciens hic iacet. Atque de Indis
hucuſq;. Iam uero Græcorum ſepelien
di morem afferamus, quos Lucianus ait ca
dauera combuſsiſſe, quod & manifeſtius ex
poëtis colligimus, atq; in primis Homero,
qui in Patrocli funere rem clariſsime execu
tus eſt: in cæteris ea ferè quæ noſtri. Cæterũ
qui pro patria occubuiſſent, longe honeſtio
re exequiarum honore afficiebant, quã rem
luculentiſsime deſcribit Thucydides, & pro
pterea

pterea eius fermè uerbis hic tibi adſcribam. Facto, inquit, triduo ante exequiarũ diem tabernaculo, mortuorum oſſa proponebantur, & ſuorum quiſq; reliquijs, ſi quid libuiſſet imponebat. cum efferebãtur, ſingularum tribuũ ſingulas arcas, ſuæ cuiuſq; tribus oſſa continẽtes, uehiculo deportabãt. Vnus prę terea torus inanis cõſtratus ſimul deferebatur, eorum quorũ oſſa nõ extarent, uel inter cæſorum corpora reperti non fuiſſent. Educebant uero funus uoluntarij quique promiſcuò uel ciues uel hoſpites, cũ interea fœminæ aliqua defunctis neceſsitudine cõiunctę lachrymãtes deflerent: oſſa ſepulchro publico compoſita inferebantur, quod Athenis quidem iuxta Calliſti monumẽtum fuerat in ſuburbanis, quo in loco ſemper qui in pugna occiderant ſepeliri cõſueuere, præter eos qui in Marathone occiderant, quorum ſingularem fuiſſe uirtutem exiſtimantes, eodem in loco monumentum erexerunt: poſtea uero quàm ſepulturę traditi omnes fuiſſent, uir eloquentia præſtãs ex numero ſeligebatur, qui in defunctorum laudes luculentam haberet orationem. Extant ad hunc diem orationes elegantiſsimæ hac de re, Lyſiæ, Demoſthenis, & Periclis, ſeu Thucydidis, quas nunc me uidiſſe recordor. Athenienſes quidem adeò ſepulturæ eorum qui in bello occubuiſſent curam

habuere,ut ſi quis ducum bello peremptos ſepulchro honeſtare neglexiſſet,capitis pœna puniretur. quare et ſummos duces,quia cæſos nauali pugna in mare deiecerant, graui ſupplicio affecere. Quin & cum occiſorũ pro patria cadauera minus aſſequi poſſent, diſperſa eorum oſſa & diſsipata, diligenter exquirere & humo mandare curæ fuit,cæteráque facere quæ ſuperius modo commemorauimus. Vnde de Nicia egregio Atheni enſium imperatore traditur,quod omnem exercitum ſubſiſtere iuſsit,ut duos tantũ per emptos milites ſepulturæ mãdaret. Cimon quoq; Miltiadis filius ſe captiuum exhibere non dubitauit, ut pater ſepulturæ traderetur. Sed hęc publica. Priuatum uero morem fuiſſe tradit M. Tullius Athenienſibus à Cecrope inſtitutũ,hoc eſt,terra humãdi: quod cum proximi fecerant,obductaq; terra erat, frugibus obſerebat̃, ut ſinus et gremiũ quaſi matris mortuo tribueretur, ſolũ autẽ frugibus expiatũ,ut uiuis redderet̃. Verum cũ apud eos increbuiſſet funerũ ac ſepulchrorũ magnificẽtia uſq; ad luxũ, Demetrius Phalereus eam minuit lege,et ante lucẽ uoluit cadauera efferri,ſepulchrisq; nouis modũ finiuit. Nam ſuper terrę tumulũ noluit quid ſtatui,niſi columellã tribus cubitis nõ altiorẽ, aut labellũ:quin & certũ his magiſtratũ præfecit, Illud præterea in humãdis defũctis ab Athe-

Athenienſibus obſeruatū,ut orientem uerſus cadauera uertere ſolerēt, contrà uero ad occidentē Megarēſes & Phœnices. Nec parua incuria omiſerim Lacedæmoniorum regum funera, quæ à parciſsima licet ciuitate, multo tamē & magnifico apparatu celebrari ſolebant, id quod in primis oſtēdit Herodotus. Nam equites, inquit, per uniuerſam Laconum regionem regis interitū pronunciabant, fœminę per urbem ollas pulſitabāt. Interea dum hæc ſic fierent, ex ſingulis domibus mas & fœmina ſeſe præ luctu & lachrymis fœdabāt: quod ſi facere renuiſſent, grauibus pœnis mulctabantur. Regijs exequijs ex omni Lacedæmoniorū regione neceſſarios quoſq; et uicinos adeſſe oportebat, qui ſimulac ad regis funus cōiuncti conueniſſent, promiſcuò ſibi uiciſſim frontes pulſabāt cum gemitu ac ululatu, optimū quenq; ultimum fuiſſe regem uociferantes. Si quis uero eorum bello perijſſet, eius ſimulachrū effingebant, toroq; ſplendide ac magnifice ſtrato componebant, perq; decem dies continuos qui regio funeri dicabātur, iuſtitium indicebatur, & ſilebant fora, nec interim magiſtratuum conſeſſus ullus erat, uerum aſsiduus luctus. Atque hę Spartiatarum regum inferiæ. Ciuiles uero exequias Lycurgū ita inſtituiſſe accepimus, ut nihil cum mortuo ſepeliretur, puniceo tantum amictu uelatū,

& oleæ fronde, cadauer terræ obduceretur. Eiuſdē quoq; lege ſancitum, ut in urbe & ſecus deorum templa ſepulchra conſtruerentur, ut Plutarchus docet, à quibus, ut diximus, Chriſtiani ipſi noſtrum inſtitutū ſumpſiſſe uideri poſſumus. Lugendi uero tempus ad undecimū diem eis præfinitum fuit, duodecimo Cereri rem ſacram faciebāt, luctumq; ſoluebant. Argiui ex Græcis omnibus, in funeribus albis ueſtibus, ablutis aqua, teſte Socrate, ſoli induebant, in quibus & ſacrum illud erat quod ἔγκνισμα illi uocabant, in quo & carnes coctas exhibebant, ut Plutarchus refert. Perſæ cæra circūlitos mortuos condire ſolitos, ſcribit M. Cicero, ut quāmaxime corpora diuturna permanerent. Hoc & Aſſyrijs, ut paulò ante diximus, attribuitur. Strabo etiā, Sola, inquit, ſepeliunt corpora Perſæ cæra oblinētes, magos uero inſepultos auibus edendos dimittunt. D. Hieronymus Perſas ait non prius cadauera humare, quàm aut ab alite, aut à cane traherentur. Idem & Procopius. Idem & Agathius in ſecūdo hiſtoriarum, cum de ſepultura ageret Mermeroes Perſarū regis uiri ſtrenuiſsimi, Tunc, inquit, in deſtinatū locum ſolū nudumq; cadauer regis mortui reliquerūt, canibus ſimul & auibus eiuſmodiq; cęteris carniuoris obſcęniſq; animantibus uorandū: quādoquidem, inquit, hūc
Perſæ

Perſæ ſeruant ſepeliendi ritum, ut nudata à canibus et feris oſſa, per campos diſperſa maneant: neq; enim aut urna condere, aut terra obruere defunctorũ corpora fas eſt Perſis. Hęc fermè ille. Lucianus tamen Perſas ſepeliri tradit. Quod autẽ Perſæ ſuorũ cadauera nõ cremarẽt ut Græci, in promptu cauſa eſt, quod deum ipſi ignem arbitrãtur, eumq́; colunt, & propterea nefas illis uidet deum hominũ cadauera depaſci. At uero Curtius in lugubri ueſte Perſarũ coniuges & liberos in funere tonderi prodidit. non homines modo, ſed & iumenta quoq;, teſtis eſt Herodotus in ultimo, cũ de nece agit Maſiſtij, uiri apud Perſas ſpectatiſsimi. Suetonius etiam Trãquillus cũ Germanici interitũ deſcribit, Quin & barbaros, ait, quoſdã regulos ferũt barbam poſuiſſe, & uxorũ capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus. Sed poſtquã incidimus in tonſurę mentionem, ſcribit Plutarchus Gręcos, ſi quid eis aduerſi accidiſſet, uiros capillos aluiſſe, fœminas totõdiſſe, ut ſuprà quoq; meminimus. Scribit Herodotus Argiuos capita totõdiſſe cũ ſuperati à Lacedęmonijs fuiſſent in agri Thyrei cõtentione, ac ſi in maximo luctu cõſtituti fuiſſet: unde, ait, legẽ tulerunt ne quis comã aleret, donec Thyreas recuperaſſent. Stobęus ex Nicolao Damaſceno philoſopho & hiſtorico apud Græcos doctiſs. morẽ recitat fuiſſe, q̊d ſi qs

apud Indos maximum aliquod peccatũ admiſiſſet, à rege tonderi iubebatur, tanquam apud eam gentem tonderi maxima ſit ignominia ac dedecus. Sed de capillorum tonſura ſi minus fortè accurate, copioſe tamẽ ſcripſimus ſuper illud Moſis, Nõ in rotundum caput attondebitis: quare iam nunc in uiam redeo. Scribit Sextus Empericus, Perſarum morẽ eſſe uita functos in cruce tollere, nitro ſalire, & poſtmodum corio contegere. Perſarum Magos ac ſapiẽtes ſcribit Cicero ſuorum corpora nõ humare, niſi ſint antea à feris laniata. Parthi eadem fermè quæ Perſæ inſtituta ſeruauere, hoc eſt, defunctorum cadauera canibus auibusq́ue lanianda proponere, nudaq́ue poſt oſſa terræ condere. Hyperborei ad Arcton morẽ hunc cuſtodiunt: Mors illis, inquit Plinius, nõ niſi ſatietate uitæ, epulatis delibutisq́ue ſenibus luxu, ex quadam rupe in mare ſalientium. hoc genus ſepulturæ beatiſsimum. Eadem ſcribit Mela Pomponius: Hæc lex in Co inſula ad Helleſpontũ poſita fuiſſe proditur, ut ſexagenarij aconito uitam finire cogerẽtur, ne uidelicet deſides fortium uirorũ cibaria abſumerent.

Troglodytarũ ſepulchra fuiſſe penè ridicula uideri poſſunt. Nam ut eſt à Diodoro proditum, paliuri ramuſculis corpus obligabant, ceruicemq́ue cruribus annectebant, inde cadauer ipſum in eminentiori loco depoſi-

poſitum, ſaxis & lapidibus obruebant, dein ſupra ſaxorum cumulum, nullo de ſuorum morte affecti dolore, capræ cornu deponentes cum riſu abibant. Sextus Pyrrhonius eadem ferè omnia, niſi quod de paliuri ramo non meminit. In inſulis quæ Balearides à noſtris, à Græcis Gymnaſię uocantur, illud quidē moris fuit, ut eius qui eſſe deſijt, lignis quibuſdā corpus membratim in fruſta conciderent, et mox cōciſum in uas componerent, tum demum ſaxorum et lapidum aceruo accumularēt, id quod Diodorus Siculus ſcriptum reliquit. At Naſamones, Africana gens, ſedētes uita functos ſepeliebant, idq́ maxime obſeruabāt, ut cum quis animam efflare cœpiſset, ſedentem conſtituerent, ne ſupinus occumberet: quod ſcribit Herodotus. Silius uero Italicus, Naſamonas in mare ſua cadauera, & in pelagus proieciſſe cecinit. Panebi populi Libyæ cū eorum rex moriebatur, reliquum quidē corpus eius ſepeliebāt, ut Stobęus tradit, caput uero abſciſſum & inauratum, in templo ſuſpendebāt ac cōſecrabant. Nabathæi atq́ Arabes, necnon Sabæi defunctorum corpora ſtercoribus ſimilia putabant, atque ideo regum ſuorum & ducum cadauera in ſterquilinijs cœno fimoq́ obtegebant, dein terra condebant. Maſſagetę uero Scythica gens, eos miſerrimos ac infeliciſsimos pu

tabant,qui infirmitate ac morbo decubantes morerentur,talesq; feris beſtijsq; uorandos proijciebant. Vnde cũ parentes & propinqui in ſenium uergerẽt,iugulabãt, eosq; in fruſta conciſos, & ouium ac pecudũ carne permixtos,in menſa appoſitos abſumebant,ſatius rati à ſe illos, quàm à uermibus conſumi.Idem fermè ſcribit Herodotus in primo.Septimius uero Tertullian. in libris aduerſus Marcionem,inſtitutum hoc Ponticis gentibus adſcribit.Parentũ, inquit, cadauera cum pecudibus cęſa conuiuio conuorant:qui nõ ita deceſſerint, maledicta mors eſt.Colchos mortuos nõ ſepeliſſe ſcribit Stobęus,uerum ex arboribus ſuſpendiſſe,quod genus ſepulturę aëreũ fuit. Derbices gens Scythica Hyrcanis proximi,eos qui ſeptuageſimũ annum iam exceſſiſſent iugulabant, & in cõuiuijs appoſitos,neceſſarios & propinquos ad epulas conuocabant. abſtinebant uero à uetularum carnibus, eas tãtum præfocatas condebant.Atqui ſi ante id temporis ſpatium aliquis fato ceſsiſſet,non eſſe, ſed terra condere ſolebant. Caſpij, parentibus ubi ſeptuageſimum annum inſtare uident, occludũt, illosq; arcte admodũ obſeruant,ut fame intereant.Alij tradunt, ubi ad id ętatis peruenerint,inter ſyluas in lectulo deſtitui,ſinẽ rei obſeruantibus & proſpicientibus ſuis. Quod ſi fortè ſuprà uolantes aues

aues unguib. et roſtro iacẽtes diſcerpſerint, ſummam eos felicitatis gradũ aſſecutos arbitrant. Si uero à canibus & feris dilanientur, eos quidẽ beatos ac felices exiſtimãt, ſed nõ æque ut ij qui à uolucribus diſcerpti ſint. At ſi nec ab his neq; ab illis, eos perinde ac infelicißimos lugẽt. Eruli, qui Danubij accolæ ſunt, eam teſte Procopio conſuetudinẽ in ſepeliendis ſuis habẽt, ut ſenibus quidem & morbo male habentibus, fas nõ eſſe exiſtimarent diutius uitam producere. Verũ ubi aliquis ita eſſet affectus, propinquos rogare cogebatur, ut ſe quantocyus ex humanis deleret: tum uero proximi & cognati ingentem pyrã lignis ſtruere, & ſuper eam tanquã faſtigiũ quoddam, hominẽ morti deſtinatũ collocare. Adhęc aliquis nulla ei neceſsitudine cõiunctus, pugione illũ cõficere, cognati ignẽ rogo inijcere, cremati oſſa legere, terra cõdere, legibus obligant. At uero defuncti uxor, ſi non multo pòſt iuxta uiri ſepulchrũ laqueo uitã finijſſet, perpetuæ ignominię nota inurebatur. Bactriani & Hyrcani ſuos ætate cõfectos canibus obijcere cõſueuere: quos quidẽ canes propterea publice alebãt, ſuęq; linguę uocabulo ſepulchrales uocabãt, q̃ immane facinus Nicanor apud Bactrianos Alexãdri pręfectus cũ emẽdare tẽtaſſet, penè, ut ſcribit Hiero. regnũ amiſit. De Hyrcanis quidem in hũc propè modum Cicero:

In Hircania, inquit, plebs publicos alit canes, optimates uero domeſticos, atque pro ſua quiſque facultate canes parat à quibus lanietur, optimamq́ eam cenſent eſſe ſepulturam. Idem Sextus Empericus aſſerit. Sunt qui & canes ipſos ſepulchrales ideo nuncupent. At D. Hieronymus non à canibus ſolum lacerari tradit, ſed & uolucribus ſemiuiuos lancinari, atque ut canit Lucretius,
Viua uident uiuo ſepeliri uiſcera buſto.

Tibareni qui Scythiæ populi ſunt, quos ſenes dilexerunt, patibulis affigunt, id quod & Perſas facere ait Sextus. Eſſedones Scythiæ & ipſi populi, parentum ſuorum funera cantibus læti proſequi dicuntur, conuocatisq́ propinquorum cœtibus, cadauera ipſa dentibus laniant, pecorumq́ uiſceribus mixta, ut de Maſſagetis retulimus, conuiuijs inter epulas apponunt. Oſſe autem capitis quod cranium uocamus, & caluariam, poculi loco habent, quod & auro circumornãt, ut Solinus autor eſt & Mela. Alij Celtis hoc attribuunt, quod modo de capitis oſſe dixi. Aliter ab Herodoto traditur: ait enim, defuncti caput denudatum purgatúmque inaurant, eóque pro ſimulachro utuntur, agẽtes illi quotãnis maiores & hoſtias & cerimonias. Albanos montis Caucaſi incolas defunctorũ curam nullam habuiſſe ſunt qui tradant, eosq́ cum opibus

&

& pecuniÿs reliquisq́ eorum rebus precio-ſis quibuſcũque, parentes ſepelire iam olim conſueuerãt, ne ſcilicet diuitiæ poſt obitum relictæ defunctorum memoriam deſideriumq́ afferrẽt. autor Strabo. unde & parum diuites fuiſſe à ſcriptoribus produntur.

Lotophagi Libyæ populi ſuorum cadauera in pelagus iacere conſueuere, ea ſuaſi opinione, minimum intereſſe humó ne an humore corpora diſſoluãtur. Pæonas Laërtius in ſtagna ſuos iam uita fũctos proÿcere ſcriptũ reliquit. Suos & Ichthyophagi, ut dictum eſt. Phryges igni cremare, ut Græci, conſueuere, mox ſepelire. Alia ſacerdotum conſuetudo, quos decem cubitis erectos ſublimes conſtituũt ſuper lapidum ſtruem, nec ut cæteros defodiũt. quod idem ſcribit Stobæus. Apud Lycios non morem duntaxat, ſed legem etiam fuiſſe accepimus, ut non niſi ueſte muliebri lugerẽt: idq́ ob eam rem factũ, ut cultus deformitate cõmoti, ſe maturius à mœrore abducerent, cũ luctum intelligerent effœminatũ eſſe & mollem, & à uiri grauitate dignitateq́ maxime alienum: Thracum uaria ſunt inſtituta, ut uariæ quoque eorum gentes. Trauſi enim qui inter eos connumerant, ubi in lucẽ infantes editi ſunt, lugẽt: ubi quis naturæ cõceſsit, læti atque hilares per iocum lætitiãq́ humare ſoliti fuerunt, arbitrati eos ex tot ui

tæ incommodis liberatos. Stobæus & Cauſianis hoc attribuit. Certe & Heſiodus qui & ipſe Thrax fuit, natales hominum lugẽs, ut ille ait, gaudet in funere. Getæ et ipſi Thraces, Gothi à pleriſq; exiſtimati, ut Hieronymus & Oroſius ſcribunt, idem faciunt, à Zamolxi edocti. Fuit uero, ut ſcribit Herodotus, Zamolxis homo Pythagoræ quondã diſcipulus, qui in patriam reuerſus, cum animaduerteret Thraces male uiuere & inſcitè, eorum ipſe edoctus Ionicum uiuendi genus & mores, ipſis dedit & leges, docuítque et perſuaſit popularibus eas ſeruãtibus, poſt obitum eos ad ſeſe in eum locum ituros, ubi ſuperſtites omnium bonorũ compotes eſſent futuri. per hoc diuinitatis opinionẽ cõſecutus, è Thracũ ſe conſpectu abduxit atq; euanuit, maximo ſui deſiderio poſt ſe relicto. Ad hunc mittere conſueuere cum naui quinq; remigum, nuncium quempiam ex ſe ipſis ſorte delectum, præcipientes ea quibus ipſi tum indigerent, eumq́; ita mittẽtes: eorum quibuſdam negotium dabatur, ut tria iacula tenerent, alijsq́; comprehenſis, eius qui ad Zamolxin mitteretur, manibus pedibusq́; hominem agitantes, in ſublime iactarent ad iacula, qui ſi in præſens extingueretur, propitium ſibi deum arbitrabantur: ſin minus, ipſum nuncium inſimulabant, adſeuerantes malum illum eſſe uirum. Hoc inſi-

mulato

mulato,aliũ mittebant,dantes adhuc uiuenti mandata. Sed prȩter hæc pleraq; alia de Zamolxi à Strabone tradũtur, deq; eius cultu, ut cæteros tum Græcos tum Latinos in prȩſentia ſcriptores præteream. Creſtones & ipſi Thraciæ populi his ſuperiores,id ſepeliendi moris habent,ut quæ uxor magis à uiro dilecta ſit,ea mactata cum uiro ſepeliatur. Sed optimatum qui apud Thraces ſunt, Herodotus hanc ſepeliendi conſuetudinem eſſe prodidit. Triduo,inquit,cadauer proferunt,mactatisq; quotidie uictimis comeſſantur,mox deflẽt,tum defuncti corpus crematum terrȩ mandant,congeſtoq; deſuper tumulo certamina proponũt,ſed ſingulorum tantum hominum, quæ μονομαχίαι dicũtur. Sed de Thracibus in uniuerſum plura Pomponius & Solinus, qui ut ſunt breuitatis ſtudioſi, ita loquuntur: Vna, inquiunt, gens Thraces habitant,alijs alijsq; præditi & nominibus & moribus. Quidam feri ſunt & ad mortem paratiſsimi, Getæ utique. Id uaria opinio perficit. Alij redituras putant animas obeuntium. Alij etſi non redeant, non extingui tamen, ſed ad beatiora trãſire. Alij emori quidem, ſed id melius eſſe quàm uiuere. Itaque lugentur apud quoſdam puerperia, natique deflentur, funera contrà feſta ſunt, & ueluti ſacra cantu luſúque celebrantur. Ne fœminis quidem ſegnis eſt

animus: ſuper mortuorum uirorum corpora interfici ſimulq́ſ ſepeliri uotum eximiũ habẽt: & quia plures ſimul ſingulis nuptę ſunt, cuius id ſit decus, apud iudicaturos magno certamine affectãt: moribus datur, eſtq́ſ maxime lætum, cum in hoc contenditur, uincere. Mœrẽt alij uocibus, & cum acerbiſsimis planctibus efferunt: at quibus conſolari eas animus eſt, arma opesq́ſ ad rogos deferunt, paratiq́ſ, ut dictitãt, cum fato, ſi detur in manus, uel paciſci uel decernere, ubi nec pugnę nec pecunię locus ſit, manẽtq́ſ domi nõ procis nupturę. Atqſ hæc quidem ex Mela magis quàm Solino. Macedonibus nullũ tam ſolenne munus fuiſſe proditũ eſt, quàm ſuos ſepelire. Gallorum in ſepeliẽdis cremandisq́ſ cadaueribus ritus his propè uerbis à C. Cæſare ſexto belli Gallici commentario refertur. Funera ſunt, inquit, pro cultu Gallorum magnifica & ſumptuoſa, omniaq́ſ quę uiuis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulò ſupra hãc memoriam (hoc eſt, ipſius Cęſaris) ſerui & clientes, quos ab ijs dilectos eſſe conſtabat, iuſtis funeribus confectis unà cremabantur. & hæc quidem Cæſar. Mirum uero eſt quod de ijſdem tradit Pomponius: Aeternas, ait, Druidas apud eos animas aſſerere, uitamq́ſ eſſe alteram ad manes. Itaqſ cũ mortuos cremant ac defodiunt, acta uiuentibus

olim

olim negotiorum ratio, etiam & exactio cre diti, defertur ad inferos, erantq́ qui ſe in rogos ſuorum uelut unà uicturi libenter immitterent. At uero Maſſilienſes inter Gallos olim eruditiſsimi, utpote à Gręcis oriundi, eodem die quo funus eſſet elatum, domeſtico ſacrificio adhibito, neceſſariorum ac cognatorum conuiuio celebrato luctum finire conſueuere. Germanorum uero funera ita deſcribit Cornelius Tacitus, ut eorũ nulla eſſet ambitio: id ſolum obſeruarent, ut clarorum uirorum corpora certis lignis cre marẽtur, ſtruem rogi nec ueſtibus nec odoribus cumularent: ſua cuiq; arma, quorundam igni et equus adijciebatur, ſepulchrum ceſpes erigebat, monumentorum arduũ & peroperoſum honorẽ & grauem defunctis aſpernabantur, lamenta & lachrymas citò, dolorem & triſtitiam tarde ponebant: fœmi nis lugere honeſtũ. Vtriq; uero, hoc eſt, Germani & Galli hac tempeſtate, ut Chriſtiani, Chriſtianorũ exequijs & ceremonijs mortuos ſepeliunt. Iudæorũ conſuetudinẽ eſſe corpora condere, quàm cremare, more Aegyptio, idem Tacitus autor eſt, quod & in Iudæorũ ſacris libris manifeſtius conſpicitur: quem morem & hodie ab ijs qui diſperſi ac palantes, nullis certis ſedibus uagantur, ſeruari uidemus. Condiri uero odoramentis & aromatibus, candidisq́; inuolui

linteaminibus, cum eorum, tum euangelica doctrina docet. Magnos autem adeò ſumptus aliquãdo in ſuis ſepeliendis feciſſe ſcribit Ioſephus, ut plerique ea cauſa ad inopiã redigerent. Illud addit diuus Hieronymus: Flentes, inquit, uſque hodie Iudæi, nudis pedibus in cinere uolutati, ſacco induti, ex ſuperſtitione phariſæorum prius cibum lentis accipiunt, ſignantes quali edulio primogenita perdiderunt. Et meritò, ait Hieronymus, quia reſurrectionem CHRISTI nõ credentes, Antichriſti parantur aduentui. Hoc quidem ille, qui & alio loco, libro ſcilicet in Hieremiã tertio: Mos, inquit, hic fuit apud ueteres, & uſque hodie in quibuſdam permanet Iudæorum, ut in luctibus incidant lacertos, & caluitium faciant. quod & Iob feciſſe legimus. Manifeſtius hoc propheta ipſe: Non ſepelientur, ait, neque plangentur, & non ſe incident, & neque caluitium fiat pro eis, & non frangẽt inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuum, & non dabunt ei potum calicis ad conſolandum ſuper patre ſuo & matre, & domum conuiuij non ingredieris, ut ſedeas cum eis & comedas & bibas. Quæ prophetæ uerba morem oſtendunt, hæc facta fuiſſe in funeribus. Sepeliri uero in agris, & obſtrui ſepulchrorum oſtia ſaxis & lapidum molibus, antiquis mos fuit. Nunc quidem

dem ut plurimum exilia ſunt, cippo tantum & gleba terræ contenti, uel tegula fictili ſiue plintho, uel ſi qui magis, marmoreo lapide. Illud utique Iudæi religioſe antiquitus obſeruarunt, ut nec hoſtem quidem inſepultum dimitterent, nedum qui patibulo fuiſſet affixus. Turcarum quoque funera his addere par uiſum eſt. Solent igitur qui inter Turcas optimates ſunt, ſua ſibi ſepulchra conſtruere, ijs potiſsimum in locis, ubi ſolitarium ſit ſolum, & nullo in uiridarijs tempore cultum, ſcilicet & in ſpecubus: tametſi apud eos etiam ſint cœmeteria, ubi populares paſsim & uulgares terra, ut noſtri, obruuntur. Potentiorum, inquam, & optimatum funera eorum ſacerdotes, quos patrio illi uocabulo Thalaſſamanos uocant, pro hominis fortuna & conditione multi comitantur, identidem hoc carmen continentes, Deus eſt deus & uerus deus, & Magman dei nuncius. Efferunt uero Turcæ cadauera in caput, ut Hebræi quoque, non in pedes, ut nos. Conſequuntur funus neceſſarij ac propinqui, & poſt hos hinnientes equi, hamis quibuſdam naribus affixis: & cum his humi tracta inſignia & uexilla ducunt, & haſtas fractas, & eiuſmodi cætera. Nonnunquam & equos inuerſis ephippijs conſtratos. At uero Turcarũ reges alij templa & xenodochia

ſibi pro ſepulchris conſtruũt, quibus & pro uentus annuos & redditus opulẽtos adſcribunt, ad inopum & pauperum ſubſidia. Solent id quoque plerique eorũ principes efficere, ut circum ſepulchra platanos cęteraſq; arbores uirentes ſerãt, ſimul & uiolas & halantium florum omne genus, addunt & his marmoreos titulos ſuis perſcriptos literis. At uero Turcarũ ſepulchra obtecta ſunt quędam, quędam detecta, hoc eſt, ſub diuo, ut apud nos quoque. Primatũ quidẽ ſepulchra quotidie ferè nouis ſtragulis ac pallijs obtegunt. Addunt & his diademata, quæ uulgò Turbant uocantur, uarijſq; omnia floribus inſpargunt. Luctus uero funerum Turcę finiunt tertio plerũq; die, & nonnunquã octauo, uocatis ad epulas & conuiuia amicis & propinquis, ubi & ſermones habentur tempori & rei congrui. Non ideo tamen fœminæ, matres ſcilicet & uxores, ſororeſq;, ac eiuſmodi reliquæ à luctu ceſſant, q̃n frequentius ſepulchrum adeunt, ſuamq; ſortem deflent, eiulatum noſtratium haud parum imitantes. Atq; hactenus quidem paucioribus tibi quàm potui Turcarum funera ſum executus. Nunc ſummatim noſtra Chriſtianorum inſtituta tibi attingam, quod ea notiſsima ſunt. Defunctorũ nos corpora, ut antiquitus Romani, lauamus, & ut cuiuſque uitæ cõditio, proprio habitu, hoc eſt,

ut pontifex pontificio, rex regio ornatu, uel ut ſibi quiſq; teſtamento legato iuſsiſſet, induimus, & humanæ redemptionis inſigni præeunte cruce, præcedentibus omnis ordinis ſacerdotibus, ultimo loco ſubſequentibus neceſſarijs & propinquis, pullatis atratiſq;, cadauere ſandapila medio loco conſtituto, ad templa & cœmeteria deferimus, ubi de more peractis iuſtis, uel terra condimus, quod uulgare & plebeium eſt, uel marmoreis ſepulchris, quod ciuilius, uel porphyreticis labris, uel aheneis, quod principū eſt & potentiorum: nonnulli etiam balſamo, alij ſale & melle condiunt, & in templorum fornicibus arculis picatis ceratíſue ſuſpendūt, obtectis ſericeis aureíſue tegumentis, cum tamen illud à noſtris maxime propriū exiſtimetur, terram terræ reddere, quæ (ut canit Lucretius) quoniam omniparens eadem rerum eſt commune ſepulchrum. Sed & apud Xenophontem Cyrus id ſepulturæ genus commendat, quod & antiquiſsimum fuiſſe M. Tullius declarat.

Hactenus quidem, quantum memoria complecti potui, de uarijs gentium ſepeliendi inſtitutis diſſerui, quibus, ut puto, longe facilius Silij Italici carmina intelliguntur, quæ ſunt in XIII. Punicorum, quo nullus, ut mihi quidem uidetur, uarios ſepeliendi ritus breuius complexus eſt, ut eo loci facile

iures, oratoris partes eum quàm poëtæ potius obiuiſſe. Ita enim Scipionẽ cum Appij umbra loquentem inducit:

-Nanque, inquit, iſta per omnes
Diſcrimen ſeruat populos, uariatq́; iacentum
Exequias, tumuli & cinerum ſententia diſcors.
Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obſcœnus conſumit corpora uultur,
Regia cum lucem poſuerunt membra. probatũ eſt
Hyrcanis adhibere canes. Aegyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, et à mẽſis exanguẽ haud ſeparat umbrã.
Exhauſto inſtituit Pontus uacuare cerebro
Ora uirûm, & longũ myrrhata reponit in æuum.
Quid qui recluſa nudos Garamantes harena
Infodiunt? quid qui ſæuo ſepelire profundo
Exanimes mandant libycis Naſamones in oris?
At Celtæ uacui capitis circundare gaudent
Oſſa (nefas) auro, & menſis ea pocula ſeruant.
Cecropidæ ob patriam mauortis ſorte peremptos,
Decreuere ſimul communibus urere flammis.
At gente in Scythica ſuffixa cadauera truncis,
Lenta dies ſepelit putri liquẽtia tabo.

Hęc Silius. Sed iam ſepulchrorũ miracula, quę toto terrarum orbe clariſsima habita ſunt, libello modum imponãt. Etenim ſuperius

tius gẽtes memorauimus, quarũ in conſtruendis monumentis ingens fuit ambitio, atq; in primis Aegypti, cuius reges et pyramides primi, & obeliſcos, & irremeabiles ſtruxere labyrinthos. Nã et Hecatęus, qui tẽpore Lagi Thebas profectus eſt, ut fidelius Aegypti hiſtorias cõſcriberet, et poſt eum alij tradũt, Aegyptiorum regũ uetuſtiſsima ſepulchra talia fuiſſe, ut eis nulla alia comparari poſſint. Aegyptij uero ſacerdotes, quadraginta ſeptem regia monumenta commemorant, quæ miraculoſiſsima fuerint: ad Lagi tamẽ Ptolemæi tempora decem et ſeptem duntaxat ſuperfuiſſe dicuntur. Celebrant item ea in quæ Iouis concubinas Aegyptij cõditas aſſerebãt. Verũ illud multo maxime celebratur, quod Simandij regis fuiſſe perhibetur, cuius in præſentia formam tibi perſcribam. Eius ſepulchri circuitus decẽ ſtadiorũ fuit, cuius aditus porta, quæ duorum fermè iugerũ latitudine, altitudine quadragintaquinque cubitorum fuit, uarijs conſtructa marmoribus. quamprimum ingreſsis offerebatur periſtylus quaquauerſum quatuor iugerum, in quo pro columnis animalia ſex et decem cubitorum ad morem antiquum inſculpta fuerant. Tota uero ſuperioris tecti ſtructura ex duorũ paſſuum lapidibus, ſtellis diſpoſitis colore cæruleo, erat adornata, Dein alter erat aditus & priori porta

non abſimilis, uerum ſculpturis multo copioſior: in cuius ingreſſu tres erãt ſtatuæ ingentes poſitæ, Memnonis (ut aiunt) opus: quarũ una coloſsi inſtar erat altiſsimi, hinc & hinc puſillas duas filias, ut uidebatur, habens, mirabili tũ naturę, tũ artis ingenio. Titulus in eo talis, Rex regũ Simandius ſum. Si quis qualiſue fuerim, & ubi iaceã noſſe uelit, meorum aliquid operũ exuperet. Erat & ſignũ aliud matris uiginti cubitorũ, in cuius capitis uertice tria regia ornamenta cũ eſſent, id (puto) innuebãt, quod filia, uxor, & regis mater fuiſſet. Poſt hæc & alter periſtylus erat lõge ſuperiore pulchrior, in quo Bactriana ipſius regis pugna erat effiĉta. In medio periſtyli duo erant ingentes ſtatuę ex unico marmoris fruſto cõfectæ, ad quas ex periſtylo tres aditus patebãt: tum ædes erãt ſuſpenſæ columnis, & in ea ligneæ ſtatuę innumerabiles, hinc iudices & inde principes uidebãtur. Dehinc ambulatorium, & regis ſignum deis immortalibus ex ſibi allatis tributis dona offerentis, quotq; annuatim millia ex tributo rex acciperet. Poſt hęc etiã fuit bibliotheca cum huiuſcemodi inſcriptione, Animi medicamentũ. Et poſt ipſam bibliothecæ inſcriptionem, omnium deorum Aegypti imagines, & regis munera offerentis. Domus hæc ſequebatur, in qua Iouis & Iunonis lectiſternia uiginti, & ſtatuæ regis

ipſius,ubi rex erat ſepultus. Circũ hanc domum erãt habitacula uarijs depicta animalibus,quæ uerſus ſepulchrum aſcendere uidebantur. Circuibat monumentum aureus circulus unius cubiti craſsitudine, ambitu uero & circuitu trecentorũ ſexagintaquinque, in quo dies anni, & aſtrorum curſus inſcriptus erat, quem circulum uſque ad Cambyſis tempora permãſiſſe teſtis eſt Diodorus Siculus. Et tale quidem Simandij regis monumentũ fuiſſe legimus. Meridis uero regis ſepulchrum Labirynthus fuit omnium maximus qui traduntur in Aegypto: de illo cum uarie à ſcriptoribus ſcribatur, eorum opiniones non eſt quod hoc loco referam. Pyramidũ quoq; amplitudinem portentoſam, ſepulchrorum cauſa cõſtruxit, ut Diodorus & Herodotus alijq; affirmant, tametſi Plinius præter hanc & alias afferat. Sũt qui id operis Aegyptios ab Aethiopibus mutuatos exiſtiment, apud quos primũ erectæ fuerunt. Sedenim pyramidũ aliæ quidẽ trium laterum, aliæ quatuor fuiſſe, manifeſte ex autoribus colligimus. Illa autem inter reliquas celebrata eſt, quę Amaſidis regis fuiſſe creditur. Item ea quã ſibi Chemis rex poſuit, quem Cheopen, ni fallor, uocat Herodotus. Fuit & illa quæ Rhodopidis meretriculæ fuiſſe traditur, illius inquam Rhodopidis quã Charaxus Sapphus frater per-

ditè amauit: quam rem periniquo animo Sapphò tuliſſe, liquidò ex eius carminibus patet. Fallunt nonnulli, qui putauerunt Myceri ni hanc fuiſſe pyramida, cum alia quidē illa fuerit: de quo & illud paſsim ferebatur, quod is fato functam filiam in boue lignea condidiſſet, & apud ſe, illius ut deſiderium leniret, in aula regia aſſeruabat, iuſsitque ut qui myſterijs & ſacris præeſſent, illi quotidie parentarent. Vidimus & ipſi Romæ, ſi non tantas, ſimiles tamen, ut quæ C. Cæſtij fuit. Fuerunt & obeliſci aliqui eadem ſepulchrorum cauſa erecti (ut Aegyptios taceamus) duo illi qui erant in monumento Augusti Romę, ab Ammiano celebrãtur, quorum alterius hoc tempore ingentia fruſta & crepidines repertę ſunt. Stat & adhuc qui in Vaticano à Claudio Cæſare poſitus fuit. Mauſoleum uero in Caria ab Artemiſia regina in Mauſoli uiri & fratris memoriã conſtructum, & inter ſeptem orbis miracula repoſitum fuit: unde & apud Græcos de re magnifica prouerbiũ καρικὸν τάφος. Sed & Porſenæ regis Labyrinthus apud Hetruriæ ciuitatem Cluſium, ſepulturæ loco ab eo rege poſitus fuit, in quo & pyramides addidit, ut ex Varronis autoritate Plinius recitat. Huius quidem Labyrinthi et hodie ueſtigia cernuntur. Quid? nónne notum eſt & urbes nonnullas conditas pro ſepulchris? ut Antinoi

tinoi ciuitas ab Adriano conſtructa in dilecti adoleſcentis memoriam & monumentum. Quid? nónne Bucephalam ab Alexandro de equi ſui nomine? Sed & flumina ſepulchri loco nõnullis fuiſſe legimus, ut eſt de Tiberino apud Romanos. Nota eſt hiſtoria. ut apud Medos Hydaſpes, de quo in Poëtis agemus. Item fluuius Pythopolites à ſepulchro Pythei regis, de quo Plutarchus agit. Maria etiam ſepulchri loco fuere, ut Icarium, Aegæum, Helleſpontus, Erythræum à ſummerſis ſepultíſque regibus nuncupata. Verum hoc de Erythra adnotaui, quod in Tyrina fuit non longe à Carmania ſepultus, cum huiuſmodi inſcriptione: Hic tumulus pelago late dominantis Erythræ. Grecum ut legi hic appoſui, ſi minus, ut ego latine retuli, tibi placeret: ἐνθάδε τάφος ἁλὸς ψαμμεδιόντος ἐρυθρου. Celebratur & apud barbaros Nini regis ſepulchrum. Nam ut ſcribit Diodorus, ſepultus fuit Ninus in regia, molis ingentis condito à ſe monumẽto, nouem ſtadiorum altitudine. Cteſias Gnidius nõ nouem, ſed decem prodidit: ex quo loco facile urbs tota ſpectari poterat. Vnde poẽta Ouid. de Pyramo & Thysbe, qui mutuo amore cõcordes Babylone fugiebant, ita cecinit: Conueniunt ad buſta Nini. quem locum admodum ieiunè expoſuiſſe uidentur

interpretes. Laudat item Zarinæ ſepulchrũ quę Sacarum regina fuit. Erat uero pyramis trilatera, quę in ſummitate & altiore faſtigio coloſſum aureum habuiſſe fertur. Helenes Iudææ memorabile monumentũ fuiſſe cum Ioſephus & Egeſippus indigenę, tum Græcus Pauſanias prodiderunt. Nitocris etiam Aſſyriorum reginæ ſepulchrum ea ratione celebrat, quod poſteros eluſit, theſauros ſub eo mentita, quo multo poſt Darius eſt deceptus: in eo enim multo labore effoſſo, has literas inſcriptas reperit: Niſi pecunia eſſes inexplebilis, & turpis lucri cupidus, nõ defunctorũ urnas aperuiſſes. Sed pluribus hoc Herodotus. Artachæi Xerxis præfecti memorabile quoq; fuit monumentũ, quod ab uniuerſo illo Xerxis exercitu tellure congeſta cõſtructus fuit. Sed et Sardanapali ſepulchrum epitaphiumq; celebratũ eſt. Nec minus & Cyri regis, quod non ad Aegyptiorũ regum luxum, rex potentiſsimus ſibi parauit, ſed ad plebeiam ferè mediocritatẽ: quod cũ Alexander recludi mandaſſet, nihil in eo pręter clypeũ putrẽ, & arcus duos Scythicos & acinacem reperit. Q. Curtius regem miratum ait. Vberius tamẽ ab Arriano laudatur, eiusq; Cyri epitaphiũ. Commendatũ quoq; Auguſti Cæſaris monumentum, quod Romæ lapide quadrato conſtructum legimus, & arbore opertum perpetuò uirenti, in cuius

ius monumẽti ſummitate Auguſti ipſius ſtatua erat poſita, cuius reliquię molis nõ procul à Tybri extabãt ſuperioribus annis: hodie qui marmora effodiũt, funditus penè diruere. Manet adhuc Adriani moles, quã bellis Gothorum penè diſiectã, ſtatuisq́ ac ſignis nudatam ſcribit Procopius, demum à Romanis pontificibus, poſtquam urbem Romam adepti ſunt, inſtauratã, muris propugnaculisq́ & foſsis munitã quà non Tybri alluitur, in arcis munitiſsimæ formã redactam nunc cõſpicimus. Nunc tibi mitto Iouis ſepulchrum, quod fabuloſum multis eſt carminibus decantatum, ut cum alij tum Picus noſter in ſuis commẽtarijs luculenter oſtendit. Mitto & Taphoſirin urbem in Aegypto, in qua ſepultum Oſirin nomen indicat. Mitto et Serapidis ſepulchrũ quod Ruffinus, Alcmenæ q̊d Plutarchus, Iſidis quod Diodorus, commemorant. Mitto & Mahometis, uel ut rectius uocat Magmedis, Turcarum prophetæ, quod ex Magnetis fornice & chalybe aëre ſuſpenſo uulgus fabulatur. Mitto & alia penè innumerabilia, diuorum, pontificum, Cæſarum, regum. Sed non ſine piaculo illud præterierim, quod omnes ſummo cultu ſummaq́ reuerentia, ſi minus corpore, animis ſaltem purgatis adire debemus, quod eſt in Iudææ urbe Hieroſolyma, CHRISTI dei & Seruatoris noſtri, cuius ô

poſſeſſores eſſemus, qui eius nomine, utinã non immeritò, Chriſtiani nuncupamur.

Hactenus tibi de ſepulturis & uario ſepeliendi ritu CAROLE diſſerui: ſcio plurima me fugiſſe, multa tamen de induſtria præteriui: quę tamē non aſcripſiſſe, minoris ſint momenti. Quod ſi ſtudium hoc noſtrũ aliqua ex parte tibi nõ aſpernabile uiſum fuerit, multum mihi collatum arbitrabor, præcipue cũ te tuapte natura & inſtituto ad bonas artes ſemper propēſioris animi fuiſſe intelligam, téque ab auunculo tuo uiro integerrimo ac probatiſsimo, nõ declinare conſpiciam. Supereſt uero mi Carole, ut quoniam mortale nobis contigit corpus, animus uero immortalis, enitamur ut animi memoriã poſt mortem relinquamus immortalem, dumq́; ſepulturas haſce legimus, earum iacturã facilem eſſe putemus: quin illud potius agamus quod Pericles ait, ut exuti mortalitate, ſine ſepulchro, ſine etiam titulo, ſi ita cõtingat, noſtri memoriam magis apud Deũ immortalem in cœlo, bonorum omnium operum remuneratorem, quàm in ſepulchris & marmoratis eorum inſcriptionibus conſeruari putemus, mortisq́; ipſius memores ſemper dum uiuimus ſimus. Nam nec aliam ob cauſam, ut à principio diximus, ſummum in philoſophia finem Platonem in aſſidua mortis cogitatione poſuiſſe uidemus, niſi quod

per

per eam & uitia fugimus, & ad uirtutes accēdimur, quibus rebus in ſupremi et tremendi tempore iudicij, unà cum corporibus nō iam mortalib. ſurrecturi, donati illuſtri ſempiternoq́; domicilio, cum Deo glorioſiſſimo optimoq́; æternùm beato æuo perfruemur.

DE SEPVLCHRIS ET VARIO ſepeliendi ritu libelli finis.


PALMA BEB.

HVIC LIBELLO INSVNT.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS HERCVLIS VITA.

EIVSDEM de Muſis ſyntagma, denuò reconcinnatum & auctum.

EPITHALAMIA diuerſorum in nuptias IOAN. SINAPII Germani, & FRANCISCAE Bucyronię Gallæ.

IVDICIVM VOCALIVM.

Σίγμα accuſat Ταῦ, LVCIANO Samoſateo autore, COELIO Calcagnino interprete.

Ταῦ diluit accuſationem Σίγμα, COELIO Calcagnino autore.

Omnia recens nunc nata & edita.

Baſileæ, apud Mich. Iſing.

M. D. XXXIX.

D. HERCVLI PRINCIPI.

Quàm magnus patet orbis, ut ſuetus
Parua pingere pictor in tabella,
Sic paruo tibi colligo libello
Omnes Herculis HERCVLES labores,
Vt mirere minus gruem timentem
Pygmæum hunc aliquando prouocaſſe.

LILIVS.

ILLVSTRISS. HERCVLI ESTENSI, FERRARIENSI Principi ac Duci IIII. Lilius Greg. Gyraldus ſalutem & felicitatem P. D.

ADOLESCENS cũ eſſem, Dux maxime idemq́; doctiſs. et uaria multipliciq́; ſcriptorum omne genus lectione afficerer, ſimulq́; interim excerpens colligensq́; quæ ex ipſis autoribus mihi notatu & cognitione digna uiderentur, pleroſq́; tunc temporis opiſthographos libellos cõcinnaui potius quàm compoſui, nunc hunc nũc illum ſcriptorẽ uel imitando, uel cõpilando: quo tẽpore hanc Herculis uitã, ut centonẽ quondã conſcripſi, æmulatus Plutarchi Theſeũ, hoc eſt, ueris fabuloſa cõtexens, eoq́; etiã amplius, interdũ addens fabularũ hiſtoriarũq́; interpretationes, & quas Græci allegorias nuncupant. Iuuenilis hic quidẽ labor, nec maturo ſatis homini dignus: ſed illi nihilominus ætati, qua primum ſuſceptus eſt, adeò nõ inutilis, ut etiã à laudatis probatisq́; ſcriptoribus commendatũ uideamus, ad exercendam ſcilicet firmandamq́; iuuenum memoriã, induſtriamq́; excitandã. Eo ergo tempore eſt meus hic ſic natus Hercules, etiã multo antequam tu natus, tuum tamẽ ex illo tempore domino tuo parente

natum mancipiũ(dominico enim cedit hæredi quicquid ex ſeruo naſcitur.)In manum igitur, quod omni iure tuũ eſt mancipiũ, accipe: non arroges dico, nec adoptes,quippe indignum , ſed familiæ tantum adſcribe : quod eò præterea tibi gratius eſſe debet, quod domini,hoc eſt,tuo nomine in lucẽ eſt æditus. Mihi uero cũ eadem ipſa cauſa chariſſimũ eſt , tum ea etiam , quod neſcio quomodo mihi refricat piam Herculis ſanctæ Agathæ Cardinalis mei diſcipuli memoriam,qui de bonarum omnium artium cultoribus , nedum de me qualicunq; educatore, optime meritus fuit,& te patremq́; tuum plurimum coluit. Videbis igitur tu hic quidẽ Princeps doctiſ.omnem Herculis hiſtoriã, in qua pleraq; Latinis haud ſatis nota ſunt, minusq́; protrita, ita ut ipſa hiſtoriæ uarietas recondita,nõnihil(ut ſpero)uoluptatis tibi,et lucis in poëtarum lectione,in quibus non mediocriter excellis, afferre poſſit. Sed hactenus de Hercule,id eſt,libello,ſatis. Nunc de me Dux Max.quem ut nunc ſunt maligna tẽpora,ſi malignus aliquis interpres fortaſsis inſimulet,quod fabuloſis his potius hiſtorijs bonas horas contriuerim,quas melius honeſtiusq́; potuiſſem Chriſtianis ſacris hiſtorijs impẽdere,me tu primum tua aura ac fauore,tuum protegas rogo clientẽ:dein hiſtoriã hanc aſſeras iuuenili à me

ætate

ætate fuiſſe conditã, qua id impune liceat. Tum ideo etiam lubẽtius me has fabulas, ſi non potius nugas, agere uoluiſſe, quod in his liceat ſine ullo piaculo, læſæúe pietatis et religionis crimine aliquid aliquãdo uel tollere uel eleuare. Si enim nouam aliquam arbitratu meo in ſacris literis interpretationem, uel ita ut ſit ad ornatum alienam à noſtra pietate hiſtoriam, ritumúe ac ceremonias aliquando afferrem, à quibus uideri poſſent noſtra, ſi non deducta, aliquo ſaltem modo deriuata uel deflexa, ut certe non pauca obſeruaui: uel ſi quando (quod interdũ effugere non poſſumus) in uiuentium pontificũ, antiſtitumq́; mores, ſi non potius abuſus inueherer, me extemplo impium & cum facinoroſis hominibus aqua et igni interdictum, imprecationibus diriſq́;, ut deuotũ, extra Chriſtianorũ conſortiũ moroſi iſti incuruiceruices eijciendũ proclamarẽt. Sciãt igitur per te Dux optime, omnes qui libellos hos noſtros legent, ſi qui modo legent, ea me de cauſa in his potius ludere uoluiſſe ſcribẽdo, quàm in ſacris tãto periculo, non quod hæc ipſa non fabuloſa ſint, ut iam profeßi ſumus, ſed quod nullo periculo hæc mußitamus: quanquam & in his noſtris benignus lector aliqua interdum offendet, quæ legiſſe illi ſit operæprecium.

RERVM MEMORABILIVM HISCE LIBELLIS CONTENTARVM INDEX.

ABderus ab equis diſcerptus 23.4
Abyle & Calpe montes, Herculis columnę cur dicti 35.5
Ace urbs 15.22
Achelous fluuius ab Hercule cornu priuatus 55.4
Acheron flu. 52.23
Acheruſiũ promontorium 50.11
Aconitum quomodo procreatũ. 50.7
Aemathion rex bello ab Hercule ſuperatus 36.18
Aganippides Muſæ unde dictæ 99.23
Agathyrſus 63.7
Agyrinæis Hercules pro mœnibus lacũ effodit 47.15
Aiax Herculis alumnus 25.2
Albion ab Hercule uictus 37.14
Albion Britãnia nũcupata 37.20
Alcmon 71.10
Alceſtis ab Hercule ab inferis liberata 53.5
Alexia urbs ab Hercule condita. 37.12
ἄλλο τὸ γένος κώπης prouerbij origo. 29.12
Alpes ab Hercule patefactæ 37.23
Amalthææ cornu 55.19.56.1
ἄμουσοι qui dicant. 118.(9
Amyræi 16.15
Antagoras Herculẽ ad luctam cur prouocauerit 63.19
Antæus palæſtra ab Herc. uictus 34.6
Antiopa Theſeo ab Hercule dono data 26.9
Aonides Muſę unde dictæ 98.12

Aper

Aper Erymantheus ab Hercule captus 16.4
Apes Muſarum uolucres 113.6
Apeſonta 12.21
Aphetæ unde dictæ 23.14
Apollo cur Muſagetes dictus 90.25. & cur Muſicus 91.4
Aptera 114.23
Aquila Promethei exta lancinans ab Hercule interēpta 21.24
Ara Herculi ab Euādro dicata 41.1
Aræ Buſiridis unde appellatæ 36.7
Archemagoras. 64.19
Ardalides Muſæ 103.18
Ardens tunica, prouerb. 68.5
Argeæ imagines unde dictæ 43.4
Ariſtæus Muſarum paſtor 113.14
Atlas primus ſyderum ratione excogitauit 33.2
Atlantem Hercules fefellit ut cœli onus iterū ſubiret 30.9
Augiæ aula, prouer. 19.4
Augiæ regis aulam Hercules purgauit 18.25
Auſonij locus emendatur 85.4
Autores de Hercule qui ſcripſere 80.7

B

BAię 46.2
Balnea calida Herculi à Pallade ſubminiſtrata 46.22
Baltheus Hippolytę ab Hercule Euryſtheo datus 26.7
Baphyras flu. 97.14
Baulis 46.16
Beergion ab Hercule uictus 37.14
Boues Larini unde uocati 28.8.24
Bolie puella ab Hercule cōpreſſa. 58.15

Briareus 78.12
Buſiris ab Hercule occiſus 35.23
Buſiridis nomen unde conflatum 36.7
Buphagus Hercules cur dictus 65.6
Buraicus Hercules unde dicat 76.21

C

CAca diuinitatem cur cõſecuta 43.9
Cacus prędo ab Hercule occiſus 43.5
Calais ab Hercule proſtratus 17.13
καλλίνικος θεὸς Hercules quamobrẽ uocatus 40.11
Calliope unde nomẽ adepta 110.25
Calydonius aper. 16 12
Camœnę Muſæ unde dictæ 97.1
Camœnarum lucus 116.7
Campus Herculeus 8.14
Cancer 14.8.15.3
Carius Lydię modulatiõis autor. 90.11
Caſtalia uirgo. 102.1
Caſtalides Muſæ unde dictæ 101.20
Celtæ ab Hercule hũmanis uictimis abſtinere coacti. 37.11
Centauri ab Herculi occiſi 16.19
Cerberus ab Hercule ab inferis tractus 49.17
Cerberus triceps unde uocitatus. 51.4. ex Tænari antro ad auras quomodo ab Hercule protractus 20
Cercopes latrones ab Hercule uinctĩ 60.15
Cerua aëripes uiua ab Hercule capta 17.3
Ceſtrini boues. 29.4
Charedręus leo. 11.7
Charybdis anus uoraciſsima ab Hercule in mare proiecta 43

43.23
Chiron Centaurorũ iuſtiſsimus 17.2
Chon Hercules ab Aegyptijs dictus 4.19
Chones Itali olim uocati 5.5
Ciborion 15.18
Cicades à Muſis ca-norę redditę. 113.24
Cicades apud Rhegynos Herculis pre cibus mutæ factæ 46.7
Cimis lacus ab Hercule factus 44.8
Ciſſa fons unde appellata 65.1
Citheriades Muſæ cur uocatę. 98.14
Ciuitates ab Hercule quę cõditę. 74.4
Clauã Herculi eripere, prouerb. 11.12
Claua Herculis qualis 11.11
Cleonæus Leo ab Hercule occiſus 12.8
Clio unde nominata 104.8
Colocaſion 15.18
Columnas Herculis attingere prouerb. 34.24
Columnæ Herculeę 34.19. 3.57
Comatas paſtor. 113 16
Conopion Hercules cur dictus 46.12
Cornopes 46.14
Coronus Lapitharũ rex ab Hercule mactatus 58.2
Corycides Muſæ unde dictę 102.14
Coturnix fortẽ Herculẽ liberauit, prouerb. unde natum 69.25
Creta inſula immunis à feris ab Hercule cur reddita 36.19
Cromyonia ſcropha 16.11
Croton ab Hercule occiſus 48.9. 100.18

Creatus 14.12
Curetes 5.17
Cycnus Martis filius ab Hercule confectus 58.5
Cynoſarges 8.8

D

DAemon Oeteus, prouerb. 63.15
Dardanis 50.16
Decimã Herculi uouentes, ditiores & locupletiores euadunt 38.19
Deimachus Herculis ſocius 25.22
Diomedes Thraciæ rex ab Hercule equis lacerãdus traditus 22.19
Διώσκουρος 77.20
Diuitia familia undeuocata 56.20
Diuitiæ familiæ inſignia 55.8
Diusfidius Hercules quare dictus 77.19
Dodonæum oraculum Herculi datum quale 68.16
Domaſcus ab Hercule de rupe præcipitatus 36.15
Dorſanes Indorum Hercules 5.8
Dryas fluuius Hercule ſitiente è terra emerſit 37.7
Draco peruigil ab Hercule domitus 31.1
Dryopes 57.16

E

EAerdi 16.15
εἰκῇ τοῦ ἡρακλῆς, prouer. 66.7
ἔπη πτερόεντα ab Homero cur dicta 115.3
Erato unde nomen ſortita 107.4
Ergynus Myniarũ rex ab Hercule interfectus 15.23
Eryx palæſtra ab Hercule uictus 47.7
Eupheme Muſarum nutrix 100.17
Eurynomus puer ab Hercule condylo

lo occiſus 56.24
Eurytion Centaurus ab Hercule cur interemptus. 18.22
Eurytus rex ab Hercule mactatus eſt 59.19
Euander literas ab Hercule edoctus 40.22
Euterpe unde dicta 104.21
Euxinus pontus ab Hercule hoſpitalis redditus 74.7
Excetra 13.12

F

FAula Herculis ſcortum 43.12
Faunus ab Hercule cur pede percuſſus 60.1
Fons Herculis apud Gades qualis 75.8
Flaminius Fuluius ędem Herculis Muſarum conſtruxit 118.24
Flauia Larentia famoſum ſcortũ. 79.8
Fulica cur Herculi attributa 65.13

G

GAlaxia ex qua re in cœlo conficta 8.19
Gargittion 26.25
Gauia Herculi addicta 65.14
Geryone triceps prouerb. 27.23
Geryõ tricorpor ab Hercule uictus. 26.24. tricorpor quãobrem fingatur 27.8
Gigantes apud Phlegręum montem ab Hercule uicti. 45.7
Glaucia 25.23
Gratiæ Muſis coniunctę 119.17
Gylion 13.4

H

HEcatompyle ab Hercule condita 74.5
Hecæa Herculis uxor 34.4

Hebe

Hebe Herculi à Iunone in uxorem data. 69.6
Helacatia certamẽ à quo inſtitutũ. 23.11
Helicõ fluuius. 97.9
Helicon mons quid ſignificet 90.1
Heliconiades Muſæ unde dictę 97.4
Herbę quę ab Hercule repertæ 73.24
Hercules quot à ſcriptoribus prodantur 1.20
Hercules quarta luna natus 6.19.8.7
Hercules aheneo lebete in Erytheã inſulã quomodo nauigarit 29.7
Hercules à balęna deuoratus 35.16
Hercules à Lernæ uiru infectus quo pacto liberatus 15.15
Hercules an uituperatus 80.16
Hercules cœlũ quando ſuſtinuerit. 33.7
Hercules cũ quibus deis ſacra habuerit 70.15
Hercules cur Iouis filius appellatus 2.19. cur ſol dictus. 25
Hercules Iardanæ Omphales parenti ſeuendi paſſus eſt 60.13
Hercules quare Melampygus cognominatus 71.8
Hercules hoſpitatur, prouerbium, unde manarit 65.19
Hercules Idæus olympici certaminis autor 21.11
Hercules Muſagetes uocatus 70.18
Hercules à Pygmęis ad pugnam prouocatus 66.13
Hercules ne quidem contra duos, prouerb. unde emanarit 12.10
Hercules quot filios reliquerit 72.11

Her

Hercules & ſimia, prouerb. 66.8
Hercules ſemel tantum iuraſſe fertur 33.15
Hercules ſemet cur occiderit 69.10
Hercules uirgines quot una nocte uitiarit 62.18
Hercules unde Tyrinthius dictus 9.20
Hercules ſtadiū unū ſine ulla ſpiratione confecit 66.11
Hercules Tyrinthius alius quàm Conopius, prouer. unde natum 61.24
Hercules triplicem dentium ordinē habuiſſe fertur 65.3
Hercules cū Mercurio atque Cupidine cur poſitus in gymnaſijs ab antiquis 77.22
Hercules quibus muneribus à dijs affectus 21.18
Hercules puerorum luſibus delectatus 67.14
Hercules quo mortis genere diē obierit 67.20.68.11
Hercules triumphalis 77.2
Herculis cognomina 3.25.65.5
Herculis cothurnos infanti adaptare, prouerb. 66.9
Herculis filiorū nomina 72.23
Herculis labor uel ęrūna, prouerb. 77.5
Herculis nomen apud antiquos in quibus rebus inuocatum ſit 77.26
Herculis nomē quātæ æſtimationis apud ueteres fuerit 76.16
Herculis nomē quid ſignificet 78.4
Herculis nomine q uocati 2.11

Herculis petra. 46.6
Herculis ueſtigium bicubitali magnitudine apud Scythas iuxta fluuium Tiren. dictũ, petræ impreſſum oſtenditur 71.1
Herculi nomen primo inditum ob eliſos ſerpẽtes à Iunone in eius pueri adhuc perniciem immiſſos 9.8
Herculi tria mala, propter triplicẽ eius uirtutem attributa 3.12. 30.18
Heſionem Priami ſororẽ Hercules à Ceto liberauit 25.12
Heſperidum hortos Hercules ingreſſus 30.25
Heſperidum fabula qd ſignificet. 32.11
Heſperides puellę ab Hercule liberatæ 32.21
Hippocoon ab Hercule Sparta expulſus 54.16
Hippocrenæ Muſæ unde ſint appellatę 99.12
Hippoderas Hercules quamobrẽ ſit cognominatus. 78.17
Hyantię ſorores Muſæ quare appellatæ 98.14
Hydra ab Hercule in Lerna palude exuſta 13.12. 14.25
Hylas puer ab Hercule amatus 23.20
Hylleus ab Hercule ligone peremptus eo quod uiatores ad uineas agroſq́ꝫ colendos compellebat 62.6
Hyllus Herculis ex Omphale filius 60.25
Hymenæus amatus à Thamyra, impudicæ Veneris autore 112.9
Hymenæus Apollinis

nis ex Calliope filius.112.4. ſunt tamen qui Magnetis fuiſſe tradant.ibid.
Hypotaura pudendorum morbus apud Aetium. 28,20

I

IAlemo frigidior, prouerb. 112.14
Icarus ab Hercule ſepultus 59.16
Iliſſides Muſæ unde dictæ 100.5
Iolaia ſacra ab Hercule ſunt inſtituta 47.21
Iolaus Herculis auriga 53.20
Iole ab Hercule abducta 59.20
Iphiclus Herculis frater 7.1
Iphitus ab Hercule de altiſsima turre cur præcipitatus 60.6
Ipoctonus Hercules unde nominatus 46,11
Itali ab humanis uictimis ab Hercule reuocati 42.24
Itones ab Hercule ſubiugati 60.19
Iuno ab Hercule tricipiti telo uulnerata 62.9
Iuppiter Apomyios quare ſit appellatus 42.17
Iuramentũ per Herculem quis omniũ primus inſtituerit 77.16

L

LAcertoſus Hercules cur dictus 66.13
Lacinius prædo ab Hercule interemptus 48.2
Lamon Herculis filius 60.22
Laomedon Herculis filius 61.10
Lamones campi unde dicti 61.12
Lamus Herculis filius 60,22

Laonome Herculis ſoror 7.5
Lapis Lydius ab Hercule nomẽ adeptus 75.25
Larini boues unde dicti 28.8.24
Larini ſues 29.2
Larnaſſus mõs. 97.
Laſtaurus. 28.10 (25
Lauacra Herculea, prouerb. 47.3.
Laurus cur Muſis attributa 96.3
Leleges 16.15
Leo Theumeſius ab Hercule confectus 11.6
Lerna 15.11
Lerpeus ab Hercule poculis ſuperatus 65.22
Libethra ciuitas 101.3
Libethrides Muſæ unde dictę 100.23
Licha ab Hercule in mare proiecta. 68.6
Ligiæ Muſę cur uocatæ 103.5
Lindia ſacra, prouerbium 67.6
Linus poëta ab Hercule quamobrẽ occiſus 9.23
Luna quarta naſci qui dicantur 6.22
Lycores Delphici nuncupati 102.20
Lycurgus bellicę exercitationi Muſicæ ſtudium cur admiſcuerit 116.19
Lycus rex ab Hercule interẽptus 53.15
Lyci regis filij octo ab Hercule occiſi 54.4

M

Macaria Herculis filia 73.20
Mænalius aper. 16.5
Maneros 116.2
M. Octauius Herculi ædem conſtruxit 39.15
Mathematicæ diuiſio 87.7
Melius cur Hercules dictus 31.15.24

Μῦλομ

μῆλον ἡρακλῆς 32.10
Melpomene unde appellata 106.1
Micylus Argolicus 48.12
Minei flu. alueus ab Herc. effoſſus.37 2
Minerua Athenienſium Muſa 118.1
Mnemoſynides Muſæ cur dictæ 103.1
Mnemoſynes filiæ 92.3
Mæonides Muſæ unde dictæ 104.3
Molionidæ 14.13
Molorchus lucus 12.7
Morbus Herculeus unde appellatus ſit 69.17
Monœcus 75.17
Mulieres Herculis iuramento cur abſtinuerint 77.13
Mulieres Italicę quã ob rem uino abſtinuerint 44.20
Mulieres Hercules ſuis ſacris interdixit
44.14
Muſæ alatæ 114.13
Muſæ cur nouẽ numero 87.14.88.2
Muſę qd ſignificent, & unde dictæ 89.20.93.17.94.1
Muſæ quot fuerint 83.17.85.15.86.1. 90.20.91.7
Muſarum artifices quot 85.12
Muſarũ fons 119.11
Muſarum fores et atria ſemper aperta 120.22
Muſarum nomina 92.20
Muſarũ numerus ex quibus conſletur 86.17
Muſarum templum 119.20.
Muſis Gratię coniũctæ 119.17
Muſis rem ſacrã primo q fecerint.85.21
Muſis ſingulis cur ſingula Bacchi cognomina cõferan-

tur 89.13
Muſas antiqui quã-obrẽ puellas finxe-re.94.10.cur in mõ tibus uerſari dican tur. 95.8.14.palma quare coronentur 95.19.96.1
Muſęum 120.6
Muſica quos mor-bos leniat ac ſanet 88.20
Muſtela à Thebanis cur religioſe culta 8.2
Mycaleſſi mare ab Hercule apertum 36.25
Myriagadas urbs ab Hercule in ſeruitu-tem redacta 37.9

N

NAblon 93.4
Nephele 16.20
Nelei filij ab Hercu-le occiſi 58.23
Nemea ludi 12.3
Neſſus Centaurus ſagittis ab Hercule confectus 57.12
Neſtor unde Gereni us appellatus. 59.1
Nodus Herculeus, prouerb. 76.2
Nymphæ Muſæ co-gnominatæ. 96.21
Nymphæa 11.18

O

ODeum 119.23
Oechalia ab Hercu-le euerſa 59.18
Ogmion Gallorum Hercules 5.21
Olbio fluuio alueus ab Hercule factus 37.2
Oleaphiloſtephanus 21.1
Olympiades Muſæ unde dictæ 103.7
Olympias quinque-nis cur conſtituta 21.10
Olympicũ certamen quoto anno celebra tum 20.14
Olympicũ certamen quis primus inſti-tuerit 21.12
Olympici certami-nis

nis uictores oleaſtro coronati. 21.1
Olynthus 58.15
Omphalę quare Hercules paruiſſe fingitur 61.14
Oraculũ Herculi datũ quo honore colendus, quale. 70.8
Ormenius rex ab Hercule interfectus 58.3
Orpheus 112.10. à mulieribus diſcerptus 25
Orpheus lyram nouichordem cur conſtituerit 88.10
Orpheus uim duplicẽ in animis & globis cœleſtibus quãobrẽ ſtatuerit. 88.23
Orthus Geryonis canis. 26.24. 27.6. 15.8
Oſtia maris mediterranei ab Hercule obſtructa 35.3

P

PAllas Herculis filius 40.24
Pallas Sophroniſteram lapidẽ in Herculem quãobrem iecerit 10.7
Palladi Axiopœnæ templum ab Herculeconſtructũ 55.1
Parnaſſides Muſę unde dictæ 97.24
πάρνοπος 46.15
Paſiphaës taurus ex Creta ab Hercule abductus 20.4
Paſſalus 71.10
Pateides Muſæ unde dictæ 103.3
Pegaſides Muſæ qua re uocatæ 99.10
Periclymenus ab Hercule claua confectus 59.7
Petra Herculis. 46.6
Phæa 16.10
Philo ab Hercule cõpreſſa 64.17
Philoſophiæ diuiſio 87.4
Phineus rex ab Hercule interemptus 18.10

Phlegra unde dicta 45.18
Phœnices literarũ inuentores 95.21
Pholus Centaurus 16.13
Phyleus Theſprotiorum rex ab Hercule uictus 56.22
Phyllantus Dryopũ rex ab Hercule cæſus 57.13
Pieriæ Muſæ unde dictæ 98.16.99.1
Pierides Muſę.86.10
Pierus poëta 99.4
Pimpleiades Muſæ unde appellatæ 101.6
Pinariorum familia cur miniſtra tãtum eſſe iuſſa ab Hercule, epulantibus Potitijs 38.8
Ploides 17.21
Poëta daphnophagus 96.9
Poëtæ qua de cauſa lauru coronentur 96,16
Polyphemi mira leuitas 24.17
Polyhymnia unde appellata 108.4
Pœmen Herculis filius 50.17
ποιναί 55.2
Pompæi oppidum 46.18
Populi folia quamobrẽ bicolora.52.12
Potitiorũ gens quare intra unius anni tempus extincta ſit 38.14
Proditius Hercules cur dictus 10.18
Prometheum Hercules è Caucaſo liberauit 30.3
Proſerpinæ ſacra ab Hercule inſtituta 47.10
Pſalteriũ decachordum 93.2
Pueri per Herculem quo pacto iurabãt 77.14
Pueri quot ab Hercule amati 24.12

Pur-

Purpuræ infectura ab Hercule excogitata 42.9

Pygmæi uel Thiodamas agreſtis Herculem prouocat, prouerb. unde natum 66.23

Pyrenes mons unde dictus 26.21

R

RHetoricæ diuiſio 87.6

Rhinocoluſtes quã obrem dictus Hercules 79.3

Rhopabas Herculis filius 11.17

Rhopalon Herculis quid ſignificet 3.8

Roſa Iunonia 9.4

S

SAcra Iolaia ab Hercule inſtituta 47.21

Sampſon Hebræorũ Hercules 6.15

Sancus 77.21

Sardinia unde nuncupata 62,21

Scamander 26.3

Scabies Herculea, prouerb. 47.4

Sicyon 85.3

Sigæum promontorium à quo denominatum 25.21

Sirenes Muſarum comites 114.17

Solus ab Hercule deuictus 48.4

Sonus omnis natura triformis 84.22

Sophoclis ſomnium 39.20

Sorophaci unde dicti 34.5

Stragula Herculis quid ſignificent 64.15

Stymphalides aues ab Hercule quo pacto ; bactę. 17.9. unde dictæ 16

Sues larini 29.2

Syrtes Hercules pedes ſuperauit. 33.23

Sympoſiorum lex apud antiquos qualis 120,13

T. Arruntius. 79.23
Tauriſcus urbs à tauris Herculis nominata 37.25
Tauros 28.16
Telchini 5.17
Telephus 19.17
Tempe Theſſaliæ ab Hercule aperta. 36.22
Termerus ab Hercule interēptus 36.15
Termerũ malũ, prouerb. 36.17
Termeſſus fluuius 100.1
Terpſichore unde dicta 106.11
Tetradiſtæ 6.23
Tetracomus ſaltatio bellicoſa 78.10
Thalia unde denominata 105.8
Theagenes quot coronas adeptus ſit 73.13
Theron rex Herculis templũ expugnauit 74.23
Theſeus ab Hercule ab inferis abductus 49.7
Theſpiades Muſę unde appellatæ. 100.8
Theſpij Athenienſis filiæ quinquaginta una nocte ſtupratæ ab Hercule 62.16
Theumeſius leo. 11.6
Thiodamas. 66.25. 67.8
Thyiades Nymphæ 102.10
Timidior proſpiciente, prouerb. unde ductum 50.5
Tirynthius Hercules quare ſic dictus 9.20
Toxicum 13.21
Trachina urbs ab Hercule condita 24.9
Tricarina ciuitas 27.22
Troia ab Hercule euerſa 25.15
Typhon Oſiridis occiſor 36.6
Tyros Nympha ab Hercu-

Hercule amata 42.4

V

VAllæ error emendatus 71.25
Via Herculea. 37.24
Vrania 88.5
Vrania quare nominata 109.18
Vulturibus Hercules cur delectatus 69.26

Z

ZEtes Boreę filius ab Hercule proſtratus 17.22

ERRATA

Pagina 14. uerſ. 3. noſtros. 128.1. pro ſcientibus, lege ſitientibus. 146.25. afferre.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIEN.

HERCVLIS VITA AD ANGELVM DIVITIVM.

HERCVLIS eſt labor, Angele, omnẽ de Hercule hiſtoriam cõtexere. Sed uide quanti te faciam, etſi id quidẽ iure, non enim, ut uideo, amore te uinco, hunc ego certe laborem libenter tua cauſa ſubiui, ut quambreuiſsime poſſem, omnem de Hercule hiſtoriam abſoluerem. quod eo libentius me facturũ recepi, tantæ rei nullã ueritus difficultatem, quod præterquã me tibi rem admodum gratam facere intelligebam, Herculis quoq; noſtri Ragonij nomẽ unà celebrare uidebar, de cuius modeſtia, comitate, cæteriſq; uirtutibus, ſæpe mecum agere ſoles. Id uerò an aſſecutus fuerim quod uolebas, non requiro, cum præſertim, ut noſti, pro libris repetita uſus ſim memoria.

Primum igitur omnium à ſcriptoribus de Hercule uariè proditum eſt. Quidam plures hoc nomine fuiſſe uolunt, duos aliqui, tres nonnulli, alij duodecim. Varro tres et quadraginta collegit. Cicero in ijs qui ſunt de natura Deorum, ſex tantum: Ex

Ioue, inquit, antiquiſſimo, & Liſyto, eſt is Hercules quem concertauiſſe cū Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus Aegyptius, quem aiunt Phrygias literas conſcripſiſſe. Tertius unus ex Idæis Dactylis, cui inferias Cretes afferūt. Quartus Iouis & Aſteriæ Latonæ ſororis, quē Tyrij maxime colūt, cuius & Carthaginē filiā ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus ex Alcmena, quem Iupiter tertius genuit. atq; hæc quidem Cicero. Sed enim priſci uiros omnes forteis, ac monſtrorum domitores, Herculis nomine nuncupauere: atq; ea de cauſa factū, ut multorū geſta uni Iouis & Alcmenæ filio adſcripta ſint. Quidā Herculem nullū unquā fuiſſe opinati ſunt, ſed per eum humanæ uim ſapientiæ ſignificari, qua monſtra quæ in hominum animos graſſantur, ſuperbiam, luxuriam, libidinē, ſpurcitiā, deſidiam, auaritiam, inuidiam, cæteraſq; animi labes ſuperamus: atq; ideo nonnulli ea de cauſa, Iouis filium Herculem appellatum uolunt, quod omnis ex mente uirtus procedat: mentē enim Iouē, uirtutem uero Herculem, antiqui dicebāt. Tametſi quidā Iouem æthera; Herculē uero Solem dixere, et idcirco factum, ut pater et filius exiſtimarentur. Vetus utiq; gentium Theologorum fuit opinio, ut per Herculem Solem interpretarentur: unde et illi

duodecim

duodecim certamina attribuũt, quod uidelicet duodecim ſigna toto anno ſol permeat: clauamq́; illi et pellem attribuunt, ut per hanc uim ſolis in leone, per illam motus inæqualitatem intelligamus. Alij hac de re multa dixere, de quibus nonnullis, ut res et locus ferent, paſsim in hoc libello dicemus. Alij philoſophum Herculem putauerũt, atq; idcirco illi Rhopalon, hoc eſt, clauam attributam uolunt, qua ipſa philoſophia ſignificatur: et pellem leonis, qua prudentia: quibus rebus Hercules edomuit animi monſtra, uanasq́; cogitatiões. Sed et illi in manibus tria mala dederunt, quibus illum non iracundum, non auarum, non uoluptarium, ut inferius planius dicetur, ſignificabant. Phyſicorum præterea quidã Herculem intellectum, uel prudentiam & fortitudinem, hoc eſt σύνεσιν καὶ ἀλκὴν dixerunt, ut à Græcis ſcriptoribus proditum eſt, qui etiã non alia de cauſa ab Apollonio dicunt in Argonauticis eſſe confictum eum ipſum Herculem cum Iaſone, reliquisq́; heroibus è naui non deſcendiſſe, cum ij apud Hypſipylẽ amoris ac uoluptatis cauſa diuertiſſent: ſed illum è naui, hoc eſt, è uitæ humanæ actionibus ad illecebras & uoluptates non deſcendiſſe. Varia quoq; à diuerſis natiõibus cognomina adeptus eſt. Nam & Ogmion, & Belus, & Melicratus, &

Charops, & Chon, & Conopion, & Ipoctonos, & Rhinocoluſtes, & Polyphagus, & Addephagus, & Buthinas, & Philopotis, & Gylius, & Olympius, & Cynoſarges, & Alexicacus, & Chomiſdætes, & Phyllites, & Callinicus, & Promachus, & Heryllus, & Monœcus, & Melampygus, & Hippodetas, & Alcides, & Tirynthius, & Amphitryoniades, & Clauiger, & Inuictus, & Pollens, & Dexter, & Vindex, & Victor dictus eſt. De quibus quidẽ cognominibus & alijs tũ hoc ipſo libello quædam, tum in eo quem de uarijs Deorum cognominibus iam diu parturimus, plura dicemus. Nec minus uariæ ſuum Herculem gentes fecerunt: præter id enim quod apud Græcos conſtãs eſt opinio Thebanũ illum fuiſſe, Tyrij quoq; ſuum Herculem putauere, apud quos & Thaſius, ut Herodotus ſcribit, uocatus eſt, eumq́; multa ueneratione coluerunt. Eundem ſibi Aegyptij uendicarunt, Chon ſua lingua nuncupãtes, qui cum Oſiride Italiam à gigantum tyrannide liberaſſe, atq; demum ab eodem Oſiride militiæ præfectum tum factum prodidere, cum totius regni adminiſtrationẽ uxori dediſſet, fuiſſeq́; longe ſuperiorem eo arbitrantur, de quo Græci adeò multa fabulati ſunt: idq́; nõ mediocre ſibi argumentum eſſe exiſtimant, quod cla-

na, & leonis pelle ſit uſus, quod ea uidelicet tempeſtate nondum arma, quibus in prælijs utimur, haberentur. Ab hoc quidem Hercule Chone Aegyptio Italiam antiquitus uocatam prodidit Antiochus Xenophanis, & Chones Italiæ populos, & Chonem ciuitatē, cuius & Strabo meminit & Stephanus. Indi præterea de Hercule multa narrant: nam & eum religioſiſsime colunt, & Dorſanis & Gigantis nomine appellant, ut Megaſthenes tradit, eumq́; apud ſe aiūt multa inſtituiſſe, urbemq́; in primis illam opulentiſsimam Palibotran, multosq́; filios mares procreaſſe, unicam uero filiam: quibus quidem filijs totius Indiæ regna diſtribuit: columnas quoq; in Aphrica poſuiſſe in geſtorum ſuorum teſtimonium & monumentū. Cretenſes quoq; Herculem ſuum eſſe uoluerūt, unumq́; ex Idæis Dactylis, qui & Curetes & Telchines dicti fuere, exiſtimauerūt, eo uidelicet longe antiquiorē qui Alcmenæ filius fuit, cui & labores illos adſcribunt quos Græci Thebano. Celtæ inſuper, hoc eſt Galli, Herculem indigena lingua Ogmion uocabant, eumq́; eloquentiæ ac prudentiæ deum exiſtimabant: itaq; effingebant ſenem penè decrepitū, caluum, capillis paucis ſuperantibus, coloratum fuſcúmue, & rugoſum, quales ſunt ſeniores marini nautæ, leonina

pelle indutum, Rhopalon, hoc eſt, clauam dextrà, ſiniſtra arcum tenentem, pharetra ex humeris dependente, catenulis uero ex auro & electro admodum tenuibus linguæ ſuæ extremitate perforata inſertis, maximam hominum multitudinem non inuitam, ſed ſponte ſequẽtem, auribus alligatis trahentem. Hac Galli effigie Herculem ſuum prudentiæ ac eloquentiæ deum ſignificantes habebant, ut pulcherrimo ac feſtiuiſs. libello Lucianus oſtendit. Quo fit, ut uirum alioqui doctum, non Herculem, ſed Mercurium, mirer literis mandaſſe, deum illũ fuiſſe. Hebræi demum, ut Philon ſcribit, Ioſephum Iacobi filium, qui à fratribus diuenditus eſt, & aliquandiu in Aegypto uerſatus, Herculem ſuum credidere. Inter hos alij Sampſona, quod uero propius accedere uidetur. Verum hac de re alij longe diuerſa. Sed nos uulgatã iam hiſtoriam ſequamur. Herculem igitur trinoctio concubitu Iupiter in Amphitryonẽ conuerſus ex Alcmena genuit, qui quarta luna, qua ad labores homines naſcuntur, ut eſt apud Euſtathium, natus eſt, adeò ut res in prouerbium ducta ſit, de ijs qui pro alijs, uel aliorum iuſſu laborant. Sanè Græcorum nonnulli tetradiſtas, eadem quartæ lunæ ratiõe, eos qui uitæ ſunt laborioſæ uocant, quiq; crebris fortunæ fluctibus agitãtur. Qui

dam

dam cum Hercule unà Iphiclum natum prodidere. Septimeſtris hic fatuus & imbecillis, ille nouimeſtris ſapiens & fortis. Laonomen quoq; Herculis ſororem legimus, quæ Polyphemo nupſit. Altera fuit Laonome mater Amphitryonis, apud quam in oppido Arcadiæ Pheneo diuerſatus eſt Hercules, & cuius gratia, ut Arcades ferunt, Hercules aquarum profunditates, id eſt, barathra, quæ ingentes aquas colligunt, effodit. Sunt qui Herculem ex Ioue quidem & Aſcræa natum ferant, id quod Aphri exiſtimant. Ea uero die qua naſciturus erat Hercules, cum eſſet ab Ioue, uel ut alij, Themide prædictum, infantem naſciturum qui cæteris eſſet mortalibus imperaturus, Iuno, quòd partubus præeſt, ueneficio quod pectinatim digitis fiat amplexis parenti aſsidendo, ut ait Plinius, anteuertiſſe dicitur, atq; Euryſtheum Archippes, & Stheneli filium in lucem prius eduxiſſe: quare factum poſtea dicitur, ut in Herculem Euryſtheus imperiũ habuerit: tametſi Græci, ut ſunt faciles ad confingendas hiſtorias, Herculem Euryſthei amore captum, eius iuſſu dicant tot monſtra cõfeciſſe. Sunt qui à Iunone antequam Hercules naſceretur immiſſas, quas Thebani pharmacidas, id eſt, ueneficas dixerunt, ſed à Tireſiæ filia procul actas. Non deſunt qui à Galan

thide eius rei edoctam Alcmenam aſſerant. Scribit Aelianus in animalibus, Thebanos muſtelã religioſe coluiſſe, ea ratione, quod cum Herculem Alcmena parturiret, idq́; ſumma cum difficultate niteretur, muſtelam accurriſſe, pariendiq́; ei uincula diſſoluiſſe, eoq́; eſſe factum facilius ut Hercules naſceretur. Natus eſt ergo Hercules ſpurio ſemine, unde & Athenienſes in eius honorem gymnaſium Cynoſarges, nothorum & ſpuriorum eſſe conuẽtum uoluerunt, quod ad Themiſtoclis uſq; tempora inuiolatum permanſit. Sunt & qui Herculem Cynoſargen cognominatũ tradant. Mox ubi infantem mater peperit, expoſuiſſe dicitur, unde & loco nomẽ Herculeus campus. Ablactatũ uero à Iunone dormientem, uel, ut alij tradunt, Mineruæ ſuaſu: cuius Iunonis cum papillã auidius puer exugeret, Deam moleſtia affecit, quare eſt ab ea abiectus, dein à Minerua ſuſceptus matri eſt redditus. Aiunt quidam & lac exuctum infantem euomuiſſe, ex quo ſit in cœlo cõficta, quã Græci galaxian, nos tum uiam, tum orbem, & lacteum circulum nuncupamus. Quam rem magni rerum & naturæ ſpeculatores, in cœli proprietatem, eiusq́; regionis referunt, quòd uel primus Hercules eum circulum oſtenderit peritiſſimus aſtrologus, ut qui ideo cœlum ſuſtinuiſſe

fuiſſe dicatur: uel Hercules ſol ipſe cum ſit, ut alibi diximus, ſiderei illius caloris in aëre candorem faciat. Alij eo lacte terram reſperſam perhibēt, atq; inde lilium exortum, quod propterea Iunonia roſa ab aliquibus dictum uideri poteſt. Ad hæc geminos in cunis ſerpentes in pueri perniciem ab Iunone immiſſos elidit, à cuius rei gloria illi eſt primum Herculis nomen inditum, cum prius Alcæus diceretur. Quidam ab Apollinis oraculo datum uolūt, unde eſt Græcis carmen illud:

Ἡρακλῆν δέ σε φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει,
Ἥρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις.

Iphiclum, ſerpentum quos ſuprà diximus terrore, ex cunis delapſum legimus, uagituq; ſuo parentes conciuiſſe, qui uenientes Herculem repererunt eos iam confeciſſe ſerpentes, quo pacto à Zeuſide depictum ſcribit Plinius. Aiunt mox Herculem enutritum apud urbem Tiryntha, unde eſt illi cognomen Tirynthij. Fuiſſe uero hebetiorem, tardioremq; in ijs ediſcendis quæ à magiſtro proponerentur accepimus, unde acrius increpātem Linum poētam optimum magiſtrum lyra interemiſſe dicitur, quod factum non damnare non poſſumus. Sed hoc

quo pacto fieri potuit, ſi Linus fulmine eſt interem ptus, ut eſt à nobis diligentius in noſtris Poëtis *obſeruatum: etſi non deſunt qui rem in allegoriã referant, quod* Hercules *magiſtri nomen ſua doctrina ac ſapientia obſcurarit. Ferunt & Herculem* Amphitryonẽ *quoq; interficere uoluiſſe, quod cum tentaret, in eum* Pallas *lapidem, quẽ* Sophroniſteram Thebani *uocarunt, iecit: quo lapide* Hercules *ſomno captus eſt, itaq́; Amphitryonem liberatum. Artem uero ſagittãdi ab* Amphitryonis *bubulco* Teutaro *eſt edoctus. Sunt qui à* Rhadamante *dicãt, cui poſt* Amphitryonis *interitũ* Alcmena *nupſit. Sed enim adhuc adoleſcẽti* Herculi *uoluptatem ac uirtutem in ſolitudine apparuiſſe ferunt, ut utram uellet comitem deſumeret. hæc turpi ac deformi erat habitu, ſed natiuo decore pulchra: illa ornatiſſimis ueſtibus & calceis induta fuerat: nihilominus* Herculem *uoluptati uirtutẽ antepoſuiſſe. Hinc eſt* Prodicius Hercules *à* Marco Tullio *&* Xenophonte, *atq; item à* Philoſtrato *dictus, quod ſcilicet primus hãc rem* Prodicus Ceus *tradiderit.* Non *multo pòſt cum ab oraculo* Delphico *&* Ioue *monitus eſſet, ut* Euryſtheo *pareret, id iniquo ferẽs animo, à* Iunone *in furorem actus eſt, amensq́; adeò effectus, ut* Iolaum *fratris filiũ filiosq́; occidere uoluerit: at mox*

liberatusq;

liberatus, domi præ pudore ſe aliquandiu continuit, ueruntamen Euryſthei mandatis parére coactus eſt. Pindarus tamen & Callimachus eum pleraq; egregia ſua ſponte feciſſe canunt, non modo Euryſthei imperio, quod Pindari interpretes notant. Leonem igitur in primis Theumeſium, quem & Græci quoq; Charadræum uocant, penè puer confecit, claua ab hoſpite Molorcho accepta, ſi nō potius à Piſandro poëta, qui illi ſuo carmine primus eam ex ære ſolidam attribuit, hoc eſt, ῥόπαλον ὁλόχαλκον *: qua claua poſtea ſemper uſus, uſque adeo, ut Herculi clauam eripere, pro re admodum difficili uſurpetur. Alij clauam ipſam ex oliua, & trinodem fuiſſe contendunt: eandem & refloruiſſe Pauſanias ſcribit. Hanc clauam Mercurio Polygio ex auro dicaſſe proditum legimus. Sed & Rhopabam Herculis filium fuiſſe audiuimus. Sanè & Nymphæam herbam notiſsimam paluſtrem ab hac Herculea claua Rhopalon dictam legimus: quin & ipſam herbam à quapiam Nympha, quæ Herculis zelotypia interijſſe proditur, denominatam accepimus. At uero leo ipſe inter aſtra relatus, qua de re uariè traditur. Sunt qui Molorchum tum hoſpitio Herculem ſuſcepiſſe uelint, cum ad leonem Nemeæum conficiendum profectus eſt,*

eiq; arietem, quem unicum habebat, immolare uoluiſſe: quam rem ne faceret, Hercules permiſit. Ab hoc Nemea ludi inſtituti ſunt, qui poſtea ut inferias manibus Archemori, à ſeptem ducibus nouati ſunt, qua de re Callimachus in αἰτίων libris. alij tamen aliter. Ab ipſo præterea Molorcho Molorchia ciuitas in Nemea denominata, & Molorchus lucus. Leonem alium manibus Hercules confecit, ut planè eſt adhuc uidere in ſignis marmoreis, qui Cleonæus dictus eſt, & Nemeæus, & Bembinites, qui nec ferro, nec fuſte, alióue telorum genere uiolabilis fuerat. Ab hoc leone Hercules pellem detraxit, quam contra pericula corpori circumdedit. Quin & leonina hæc pellis, & claua, ipſius Herculis ſunt inſignia. Verſabatur hic inter Mycenas & Nemeam ſyluã prope montẽ, qui ex re τρητὸν, hoc eſt, perfoſſus cognominatus eſt. uide Diodorũ. Quidam Nemeæum & Cleonæum diuerſum faciunt. Hunc uero leonem ipſum in lunæ circulo enutritum, & inde in terras delapſum fabulati ſunt, unde & loco quo in terram concidit, Apeſonta nomen inditum. In hac quidem uictoria Herculem ex apio coronã inſtituiſſe canit Pindarus. Probus uero picea coronatum ſcribit, qua poſtea in Nemeis uſi ſunt Græci. Quidam per leonem furorem interpre-

tantur,

tantur, quem cum bile atra laboraret, Hercules ſuperauit. Huius certe rei autorem Heraclidē Ponticum habemus. Porrò Græci quidam grammatici Gylion leonem uel porcum ſignificare cōtendunt, ex qua re Herculi factum ſit cognomētum Gylius, quod & Suidas non inficiatur. uerum Gylion non porcum uel leonem ſignificare ait, ſed chœrogryllum, id eſt, porcum ſpinum, tametſi in Leuitico uaria noſtri. Cætera Gylij ſignificata non eſt cur hic inculcemus, cū in Poëtis noſtris plura ea de re ſcripſerimus in Carcini uita. Sed ne Herculem mittamus, qui etiam Hydram, quam Latini excetrā uocant, nonaginta capitum ſerpentem, ut Simonides, ut Alcæus quinquaginta, ut alij, ſeptem, uel quinq;, quorum unum immortale uocabatur, in Lerna palude, unde tot ſunt uulgò facta adagia, igne ſuperauit, uel, ut ab alijs proditur, ſagittis confecit, id eſt τόξοις. nam ut apud Homerum à grammaticis obſeruatur, τὸ τόξον & quod mittit, & quod mittitur, hoc eſt, arcum & ſagittas ſignificat: à quibus ſagittis, id eſt, τόξοις hydræ ſanguine infectis, toxici uocabulū effluxit, uel quod ex ipſius hydræ ſanguine natum eſt, ut Nicandri ſcribunt expoſitores, à quibus & alia referuntur, omnesq; à τόξοις, id eſt, ſagittis uel Parthorū uel Scytharum: ut magis

mirum ſit quod ab aliquibus ſcribitur, toxicum dictum eſſe ab arbore taxo, quin taxicum, quod præter noſtras grammaticos & Plinius ſcribit, tametſi & toxum pro taxo à Romanis dici autor eſt in 6. Dioſc. Sed ne uagemur, cum ab Hydra uno amputato capite alia pullularent, facem ferunt ab Iolao uulneri apponi ſolitam, atq; ſic demum deuictam & extinctam hydram tradūt. Cancrum quoq; hydræ ſuppetias ferentē interemit, implorato, ut dicitur, Iolai auxilio: ex qua re illud emanauit, Ne quidem contra duos Hercules: tametſi alij id aſſerunt cum Olympico certamine Cteaton, & Euryton, Neptuni & Molionis filios occidiſſet, qui Molionidæ ideo nuncupati ſunt: idemq́; cum in ſequentis olympiadis certamine facere tentaſſet, resq́; fruſtra ceſsiſſet, in prouerbium deducta eſt. Non deſunt tamen & qui rem in Laium & Pherandrum referāt. Verum hac de re, hoc eſt, Molionidis, plura nos in annotationibus ex Plutarcho, Nazianzeno, Suida, et Pindaro. Sunt uero qui hydram & cancrū ſophiſtas fuiſſe interpretentur ex Platone, quorum ſophiſmata & cauillos, Hercules ingenij ac mentis ui abſoluerit: licet id potius, ſi quis modo ſanè uerba perpendat, per ſimilitudinem quandam à Platone dicatur. Alij Hydram arcem, ſeu turrim quampiam

munitiſſimam

munitiſsimã fuiſſe opinantur, quæ à quinquaginta uiris cuſtodiretur. arcis uero rex Lernus uocabatur, qui à Carcino, id eſt, Cancro uiro quodã fortiſsimo adiutus, contra Herculẽ pugnauit. Hercules autem ab Iolao Thebanis copijs auctus, ambos ſuperauit, Hydramq́; caſtellũ euertit incẽditq́;. Alij ſecretiore arcano fabulæ locũ datũ uolunt, quod ſcilicet Hercules animi ſui ac continentiæ ignita tanquam face identidem renaſcẽtia libidinũ cæterorumq́; uitiorũ Lernæa capita repreſſerit, atq; penitus extinxerit. Nec deſunt qui per Hydrã & Lernam inuidiã, ſeu mauis inuidentiã, ſignificari exiſtimẽt, quæ difficillimè extinguitur, cũ abiecti animi indiciũ ſit, ut planè ex Ouidij & Plutarchi deſcriptione cõſpicitur. Græci ſcriptores illud de Hercule Lernæ uiru infecto obſeruant, eũ oraculũ accepiſſe, ſe aliter liberari non poſſe, niſi ad flumen herbã inquireret, cuius radix colocaſion, caulis uero qui ſupra terrã eſt, ciborion uocatur, quo nomine uas etiã dicitur. Vnde cũ apud Belũ fluuiũ eã reperiſſet, ueneno eſt liberatus: idq́; quoniã in Phœnicia contingit, urbs in eo loco condita eſt, quæ Ace ex re nomen ſumpſit, quæ & Ptolemais dicta eſt. Poſt hæc Ergynum Myniarũ regem impijſsimũ prælio fudit, à Thebanis immodica tributa exigẽtem, atq; ipſius etiã regiam euer-

*tit,cuius excellentis facinoris gloria Creon rex illé-
ctus,cum ſibi generum delegit,filiamq́; illi Mega-
ram deſpondit,atq; unam totius regni curam ad-
miniſtrationemq́; permiſit. Aprum Erymantheũ,
qui & Mænalius & Arcadius dictus eſt,uiuũ ce-
pit,Euryſtheoq́;,qui ſe ob metum in uaſe æneo oc-
cluſerat,detulit:cuius quidẽ apri dentes apud Cu-
manos populos qui in Opicis ſunt,in Apollinis tem
plo diu ſuſpenſos fuiſſe,Græci prodiderũt. Natum
hunc aprum ferunt ex ſcropha,cui Phæa nomen,
quæ & à loco Cromyonia cognominata eſt,ut Stra
bo meminit. Ex eadem Phæa & Calydonius aper
editus eſt. Cum apud Pholũ Centaurũ,à quo & nõ
men monti inditũ,hoſpitatus eſſet, Centauri primò
Amyræi dicti,dein Eærdi,poſtea Lelcges,doliũ ui-
ni optimi defoſſum extulerunt, quod hac olim legẽ
Bacchus dederat,ut cũ inde Hercules trãſiret,illud
effoderẽt: hi uero cum uini odore ebrij facti eſſent,
atq; ad rapinas conuerſi, ab Hercule ad unum cæſi
fuerunt,eis licet eorum matre Nephele,hoc eſt,nu
be,fruſtra ſuppetias ferente. Alij nõ omnes cæſos,
quin ipſum bis cum Centauris pugnaſſe prodide-
runt,cum primum ſcilicet Perithoo nupſit Hippo
dame, item cum Eurytus ab Oeneo hoſpitio ſuſce-
ptus,nil deos hoſpitales ueritus,uim inferre Deia-*

nira

uiræ conatus eſt. Qua harum pugna ab Hercule Chiron Centaurorum, ut ait Homerus, iuſtiſsimus ſit occiſus, parum inter autores conſtat. Ceruā äëri pedem, & aurea habentem cornua (ſi modo in ceruis fœminis cornua reperiantur, quod tamen poëtæ affirmant) retibus, uel ut alij dicunt, præ laſsitudine dormientem uiuam cepit. Sunt qui ceruam timoris ac metus affectiones interpretentur, quas Hercules utpote uir fortis & ſapiens uicerit. Stymphalidas aues, quæ Martis alumnæ dictæ ſunt, cuncta ſtercoribus ac uentris proluuie fœdātes, uel, ut Timagnetus ait, pennas ferreas habētes, & eas ut ſagittas eiaculantes, quod & Euripides, & Claudianus noſter in Hiſtrice teſtantur, æneæ tabulæ colliſu, uel crotali ſonitu abegit, uel ut alij tradunt, ſagittis illas cōfecit. Dictæ uero ſunt Stymphalides à Stymphalo Arcadiæ oppido, ut Homerus & Pauſanias tradunt: inde uero, ut Apollonius canit, ad Martis inſulam demigrarunt. Mnaſeas quidem à uiro heroicæ uirtutis inſigni denominatas credidit, cuius & Ornythæ puellæ filiæ fuerint. Alij et eas Ploidas appellarunt, quod in aquis degētes natarēt. Tum & Zeten, & Calain alatos Boreæ filios ſtrauiſſe Hercules fertur in Teno inſula quæ Delo adiacet, & in eorum ſepulchro duas erexiſſe colūnas in rei monu

mentum, quarum alteram Borea *ſlante commo-ueri ſolitam*. *Cauſa necis uarie refertur*. Aeneſide-mus enim, *quod hoſpitātem* Herculem *occidere uo-luerint, ſcribit*. Steſimbrotus, *quod in contentio-nem cū* Hercule *uenerint, de datis ab* Iaſone *comiti bus muneribus*. Nicander, *quod* Herculem *diuer-ſantem in* Co *inſula*, Boreas *tempeſtate affecerit*. Apollonius, *quod nauem* Argo *in* Myſiam *rurſus reuerti prohiberent. Alij alia, quæ breuitatis cauſa mitto. Sunt et qui* Phineum Arcadiæ *regē ab* Her-cule *interemptum aſſerant. Cum enim ipſius regis filios in ſolitudine conſpicatus fuiſſet, ab ijsq́; didi-ciſſet quod eſſent à patre* Phineo *eiecti, calumniati à* Scythica *uxore, quam eis nouercā rex ſuperin-duxerat ſpreta* Cleopatra, *quos* Phineus *mox apud* Herculem *ſenex accuſauit: ut uero* Hercules *pue-ros ſine culpa reperit, eos in patriam domum reuer ti iußit,* Phineumq́; *inſurgentem, ac filiorum al-terum in mare ſummergere uolentem, pede feriens interfecit. Fabulam in* Argonauticis Dionyſius *eſt executus. Cætera quæ multa de* Phineo *leguntur, non huius ſunt inſtituti.* Eurytionem Centaurum *indomitum interemit, qui die ipſo nuptiarum* Hip-polytæ Augiæ Elienſium *regis filiæ uim inferre ten tauit.* Augiæ *quoq; ipſius regis aulam, hoc eſt, ut*

Græci

Græci dicunt, βουστασίαν immundam ſordibus ex-purgauit, in ea deriuato atq; immiſſo fluuio Minieo, ſeu, ut alij, Pignione, uel Alpheo, uel Peneo. Vnde de immundis fœdisq; rebus, Augiæ caulam, ſeu aulam, pridem eſt prouerbium uſurpatum. Augiam uero ipſum Hercules occidit ob mercedem ſibi denegatam, filioq; ipſius Phyleo regnum tradidit, qui à patre fuerat eiectus, quod inter Augiam & Herculem iudex electus de pacta Herculi mercede, pro Hercule pronunciauerat. Eſt etiam illud à Grecis traditum, quod cum contra Elæos Hercules pugnaret, equum Ariona ab Onceo petijt, eoq; uectus Elim cepit, ſed illum mox Adraſto dediſſe. Alij tamen aliter, inter quos Lutatius. Augen inſuper Alei Arcadici filiam compreſſit, ex eaq; filium ſuſcepit, qui quod ceruinis uberibus nutritus fuit, Telephus eſt uocitatus, & cum matre ab Aleo auo in arca incluſus in mare proiectus, delatusq; ad prata Cayci, & à Teuthrante uiro præpotenti ambo excepti ſunt, ut eſt à quibuſdam proditum. Stephanus autem Auges maritũ Teuthranta ſcribit, patremq; Telephi. Alij Telephum in Palladis templo à matre expoſitum prodidere. Sed cũ hac cauſa ibi peſtilentiæ uis graſſaretur, Aleus in Panthium montem detulit, ubi eſt à ceruа nutritus.

Augen deinceps ab Hercule parũ amatã legimus. Cæterum Suidas Telephum Herculis filium Latinum uocatũ ait, atq; ab eo Latini Itali denominati. Paſiphaës dein taurum ex Creta formoſiſsimũ Hercules ad Euryſtheũ in Peloponneſum deduxit, quẽ taurum quidã à Neptuno immiſſum tradunt, quod cũ cæteris deis Minos ſacra feciſſet, Neptunũ ipſum præterijſſet. Delatum igitur taurũ in Peloponneſum, inde aufugiſſe in Atticam, in campisq́; Marathonijs cũ alios interfeciſſe, tum Androgeũ Minois, mox à Theſeo mactatũ. Plura Pauſanias & Plutarchus in Olympicum certamen Ioui patri, uel ut alij, in honorem Pelopis inſtituit, iuxta Alpheũ fluuium apud Elim & Piſam, ad radices mõtis Olympi: quod quidẽ certamen quinto quoq; anno, ſeu uerius quarto perfecto, & ut Lycophronis interpres Iſaacius ait, quinquageſimo quoq; menſe magna celebritate frequentabatur: in quo cum palæſtram cũ reliquis quatuor certaminib. inſtituiſſet, & fortiſsimum quenq; ac robuſtiſsimum ad luctam prouocaret, omnesq́; certantes ipſius robur uererentur, Iouem ferunt in athletæ formam mutatum, cũ Hercule in palæſtram deſcendiſſe, diuq́; ambobus certãtibus, cum anceps & dubia uictoria uideretur, Iouem tandem ſe filio manifeſtaſſe. Victores uero in Olympicis

picis oleaſtro,uel ut Ariſtoteles ait, olea, quæ philo ſtephanos dicitur, coronabantur. Alij rem ita tradunt, quod cũ Rhea Iouem Curetibus, hoc eſt, Herculi, Pæoni, Epimedi, Iaſio & Idæ commendaſſet, Hercules inter eos natu maior cum luderet, fratribus ipſis curſus certamẽ propoſuit, uictoreq́; eius oleaſtro coronari uoluit. Eſt enim in fabulis receptũ, oleaſtrum delatum fuiſſe in Græciam ab Hercule ex Hyperboreis regionibus. Quinquennem uero Olympiada fuiſſe conſtitutam ferunt, quod quinq; fuerint fratres Idæi. Hic igitur Hercules Idæus longe Amphitryoni antiquior, Olympicum certamen inſtituit, cui quinquageſimo poſt Deucalionis cataclyſmum anno Clymenus aram ſtatuit, paraſtateq́; & adiutorem cognominauit, tum poſt Pelopẽ Hercules Amphitryonis adauxit. Hiſtoriam latius exequitur in Eliacis Pauſanias. A Deis quoq; ſingulis muneribus Hercules affectus eſt: peplo quidem à Minerua, claua & thorace à Vulcano, equis, inter quos Arion, à Neptuno, quo mox equo uſus eſt Adraſtus, ut paulò antè dixi. Donatus uero enſe à Mercurio, arcu & ſagittis ab Apolline, myſteria et ceremonias ad cædium expiationẽ à Cerere accepit. Aquilam, ſeu ut alij dicũt, uulturem Promethei exta lancinantem, qui in Caucaſo fuerat religatus,

interemit. Sunt qui aquilam fluuium fuiſſe interpretentur, quem Hercules repreſſit. Diodorus Nilum Aquilam appellatum tradit: qui cum eam partem Aegypti, cui Prometheus imperitabat, inundaſſet, ab Hercule ſui conſilij magnitudine eſt compreſſa, & ad priorem curſum deducta, unde eſt Græcis occaſio præſtita fabulādi. Alij ad allegoriam fabulam referunt, hoc eſt, quod curas & anxietates animi ipſi Prometheo amouerit, quæ ex ipſius mēte, hoc eſt Ioue, noctu reſurgebāt, interdiu uero latitabāt, Hercule præſente, id eſt, ſole. Aquilam quoq; Promethei noſtri nonnulli ἄχος, hoc eſt, anxietatem ſolicitudinemq́; interpretati ſunt. Alexander tamen Aphrodiſicus ita interpretatur, quod cum Prometheus ſapiens & philoſophus eſſet, cœleſtisq́; aquilæ cauſam & naturam perſcrutaretur, & iam ob ſtudij & diſcendi auiditatem abſumeretur, Herculem ei adſtitiſſe, qui omnia quæ de ipſa aquila illi dubia & incerta erant, exoluit & manifeſtauit. Diomedem Thraciæ regē hoſpites mactantem, equisq́; indomitis uorandos apponētem, ijs uictum lacerandum appoſuit, ac equos Euryſtheo detulit, quos domitos ille Iunoni dicauit. Palæphatus fabulæ locum datum ea cauſa credidit, quod cum ex agrorum redditibus & prouentibus qui agricolis hominibus debentur,

bentur, equos aleret, ea cauſa humana carne equos pauiſſe dictus eſt. Sedenim Philoſtratus in Abderi exequijs equas eas fuiſſe ſcribit, ab ijsq́; ſemeſum diſcerptumq́; puerum ipſum Abderum: qui cũ ab Hercule amaretur, cauſa fuit ut præter fletum Herculis celebratũ, Diomedem quoq; ipſum, easq́; equas confecerit, certamenq́; in pueri memoriã conſtitue-rit, & ,ut nonnulli putant, ciuitatem quoq; Abderam. Soſibius etiam Helacatum puerum ab Hercule amatum ſcribit, in cuius pueri honorem Lacedæmonij Helacatia certamen inſtituerunt. Poſt hæc Hercules cum Argonautis ad uellus aureũ in Colchos nauigauit, uel ut alij, in Miſiam, quouſq; puerum Hylam amiſit, à qua re locum Aphetas nominatum legimus. At Herodotus, cum aquatũ, inquit, Hercules iuiſſet, & derelictus ab Iaſone & ſocijs eſſet, nomen loco factum ἄφεται. Alij relictum ab Argonautis Herculem ideo dicunt, quod artis remigandi eſſet ignarus, nimioq́; manuũ robore ſæpius remos infringeret. Fuit autem Hylas Thiodamantis filius puer formoſißimus, quem patri raptum miro proſecutus eſt amore Hercules: qui cum in Myſiam apud Cium fluuiũ aquatũ cũ calpide (uaſis id nomẽ) iuiſſet, ſummerſus eſt, uel eſt à Nymphis raptus, ut Onaſus, Theocritus, et Nicãder tradidere.

Apollonius ab Amphidatia Nympha abreptum ce cinit, cuius deſiderio actus Hercules, cum diutius quæſitũ non inueniſſet, ſacra apud Cianos inſtituit, in quibus Hylæ nomen identidem acclamabatur. quidam in Magneſia id contigiſſe ſcribunt. Herculem ab ijs populis apud quos Hylam amiſerat, pro puero pueros aliquot eorũ pro pignore accepiſſe, eosq́; in Theſſalia, loco admodum aſpero & diffici li, ubi à re urbem condidit Trachinam, collocaſſe, Cinæthon in Heraclea autor eſt, & Apollonius in Argonauticis. Sed enim & alios pueros præter hos ab Hercule amatos legimus, Philoctetem, Diomũ, Perithoanta, Abderum, & Phriga, à quo Libycæ ciuitas denominata. Aliqui & Euryſtheum ab Her cule amatum, ut ante diximus, prodidere. Sunt qui Hylam, inter quos Socrates ad Idotheum, aſſerant Polyphemi amatum, non Herculis fuiſſe, eius inquam Polyphemi qui cũ Argonautis nauigauit, et Herculis ſororem Laonomen uxorem duxit, quiq́; ea leuitate fuiſſe dicitur, ut ſuper undas curreret, nec pedes tingeret. hic etenim non Cyclops fuit. Apud Philoſtratem uero Vinitor, Neſtorem magis amatum ab Hercule tradidit, quàm uel Hylam, uel Abderum: hos enim admodũ infantes fuiſſe Hercu lis tempore, Neſtorẽ uero ætate maiorem: eũdemq́;

primum

primum fuiſſe, idem eſt autor, qui Herculis nomen in iuramentum induxerit. Aiacem præterea Hercu culis alumnum fuiſſe legimus, atq; ab eo cum infans eſſet leonina pelle inuolutū, illiq́; Iouem conceßiſſe, ut puer Aiax inexpugnabilis eſſet, qua parte tūc corporis fuiſſet pelle contectus. Aiacis quoq; patrē Telamona ſocium & amicū habuit Hercules, eoq́; comite multis in certaminibus uſus eſt. Nam & cū eo Iliū expugnauit, & Amazones deuicit, & Halcyoneum peremit, ut & Pindarus prodidit: quin & Theocritus eorū amicitiam hoc carmine oſtendit: Vna ambo ſocij ducunt conuiuia menſa. Heſionem Priami ſororem à Ceto liberauit. Cetum uero quidam regem interpretantur fuiſſe, qui Heſionæ uim moliebatur, quem Hercules ſuperauit. Troiam poſt hæc euertit, ob ſibi denegatos, quos illi promiſerat, equos à Laomedonte rege, quem & nonnulli ab eo occiſum prodiderunt: qua in pugna & Troiæ euerſione ipſius Herculis ſilentium & taciturnitas ita commentatur, ut ab euentu promontorium adhuc Sigæum nomen ſeruare dicatur. Illud quoq; de Deimacho Herculis ſocio apud Troiam interfecto proditum eſt, quod cum Deimachus Glauciam Scamandri filiam compreßiſſet, ea, poſteaquàm fortè occiſus fuiſſet Deimachus, pœnā uerita ad Her

culem rem detulit, qui amici miſeratione, poſt euerſam Troiam, illam ſecum in Bœotiam deduxit: ubi cum filium peperiſſet, Scamādrum nuncupauit, qui poſt auum apud Eleonem regnauit, ibiq́; fluuium Inachum de ſuo nomine Scamādrum uocitauit, proximumq́; alterum riuum à matre, Glauciam.

Baltheum Hercules ab Hippolyte, uel ut alij, à Menalippa Amazonum regina ablatum, Euryſtheo detulit, Amazones reliquas debellauit. Antiopam ex ijs unam Theſeo dono dedit. Sunt qui Hippolyten dicant, unde ei ſit natus Hippolytus. alij rem aliter tradunt.

Mox ad Geryonem proficiſcens, Bebrycem, cui confines dicuntur Pyrenæi montes, attigit, cuius regis filiam Pyrænen ut uidit, arſit: illa uero dum uim parat Hercules, in auia & ſolitaria loca ſeſe occultans, diu noctuq́; queſtibus & lachrymis intenta, à feris infelix laniatur: quam anxiè dum perquirit Hercules, à feris diſcerptam reperit: cuius membra atq; oſſa colligens in montis uertice ſepeliuit, quem & à puellæ nomine Pyrenen uocauit, ſint licet aliæ de hoc montis nomine opiniones.

Dehinc in Hiſpaniam deſcendens, tricorporem Geryonem uicit, eiusq́; inde armenta, Orthumq́; canem abduxit. Alij Gargittion canem uocant, &

Cerberi fratrem, interfectumq; ab Hercule, non abductum, eiusq; in Iberia ſepulchrum eſſe. Geryonem Heſiodus ait Chryſaore patre natum ex Callirrhoë puella, quod & in libello græco XII. laborum Herculis ſcriptum comperi, ubi & Orthum canem ex Echidna natum, & bicipitem fuiſſe legimus, ipſarum quoque boum paſtorem Eurytionem. Finxere uero Geryonem ideo tricorporem, quod unanimes atq; concordes tres eſſent fratres. Alij ad tria uitia, ſermonis, corporis, & animi, quæ Hercules domuit, referunt. In Heſiodi autem commentarijs ita exponitur: uel propter tria tempora, quæ à Sole conficiuntur, uel à uoce, quæ græce γῆρυς dicitur, tonitrus uidelicet nubium & uentorum quæ Hercule, id eſt, ſole, ut diximus, diſsipantur, diſſoluunturq;. Aëris enim tria interualla & ſpatia Philoſophi faciunt. Sed enim quoq; græci poëtæ tonitrus à boum mugitu μυκηθμὸν appellauere, unde & boues Geryonæ Hercules abegiſſe dictus eſt. Palæphatus exiſtimat Geryonem tricipitem dictum, quod ab Euxini ciuitate originem duceret, quæ Tricarina diceretur, hoc eſt, ut ſic dicam, tricipitina. Eſt inter prouerbia, Triceps Geryone, in eos qui ſunt moribus efferatis & indomitis. Hecateus uero Geryonem loca prope

Ambraciam & Amphilogos tenuiſſe ſcribit, quæ paſcuis optimis referta ſunt, cumq; ibi ab Hercule uictum: unde & cum bobus in Epiro, mox à Larino paſtore ſuſceptus eſt, à quo poſtea Larinorum boum memoria ſit facta, quod ſcilicet fuerint formoſiſsimi. Quidam ab eodem Larino abactos, ſeu quod Proxenus ait, Hercules ipſe in Dodona Ioui conſecrauit. Alij non à Larino cognominatos putant, ſed à narium latitudine. Græci quippe λα particula utuntur in huiuſmodi ſignificatu, ut Laſtaurus is qui æquo eſt membroſior, ac pronior in uenerem, qua de uoce Græci grammatici, & ab ijs Latini multa. De Laſtauro quidem illud notat Phrynichus, quod ea dictione recentiores non utuntur ut antiqui, ſed pro homine nequam, quaſi σταύρῳ digno. Eſt uero tauros pars mẽbri uirilis, ut eſt apud F. Quintilianum, & Diomedem grammaticum. Euſtathius partem ſub oſcheo poſitam ait. Meminit & Suidas & Athenæus: à qua certe particula uocantur hypotaura ab Aëtio, ubi de pudendorum morbis agit, quam dictionem interpretes parum nouiſſe uiſi ſunt. Dicitur & uirgo intacta à Græcis ἀταύρωτος, ab eadem particula facto uocabulo. Sed nos ad Larinos potius redeamus, quos alij appellatos uolũt ab eo quod frumẽto ac pabulo paſti ac

ſti ac

ſti ac ſaginati eſſent, hoc eſt, ἀπὸ τοῦ λαρινεύεσθαι, ut ſcribit Athenæus: nam & ſues eadem ratione la rini dicuntur. & Larinū epos dixit Ariſtophanes. Quidam et hos boues ceſtrinos uocauerunt, quidā à Larino pago uocatos autumant, alij à Laro prædone, de quo apud Græcos extant prouerbia: alij à pago Epiri. Nauigaſſe uero Hercules dicitur aheneo lebete in Erytheā inſulā, quā Gades Pherecydes dixiſſe uidetur: uel ut alij, ærata naue, uſus pro uelo leonis pelle, pro malo claua, pro rudentibus loris pharetræ, pro remo arcu. Hinc frequēs illud Grecis dicteriū, ἄλλο τὸ γένος κώπης. Cum enim inſuetā hanc nauigationē homines indigenæ ſpectarent, clamabant, aliud hoc genus remi, ut eſt à Plutarcho relatum. Alij poculo nauigaſſe perhibent: quam rem ad hiſtoriam refert Macrobius, ut nauigio uidelicet eo nauigauerit cui nomē ſcypho. Alij quod Hercules ipſe biboſus eſſet, & immanibus uteretur poculis, ut eſt pluribus diſputatum apud Athenæum, & nos hac de re aliquid infra dicemus. Sunt qui fabulam aliter recitent, ipſum cum ſui itineris terminum columnas ponere ſtatuiſſet, & meridie ſolis æſtu affectus eſſet, in deum telum conieciſſe: deum admiratum herois robur, eiq; aureum poculum dediſſe, quo in Erytheam ad Geryonis boues il

le enauigauit. Alij eo in Pergen perueniſſe aiunt, inde per oceanum ad Prometheum nauigaſſe, ac illum, ut diximus, è Caucaſo liberaſſe, à quo edoctus eſt, ne ad mala aurea ipſe accederet, ſed ad ea accipienda Atlantem mitteret, ipſe Atlantis tantiſper uices ſubiret, dum rediret. quod ubi factum eſt, ne Atlas cœli onus iterum ſubire cogeretur, ſe tria illa mala ad Euryſtheum allaturum recepit: uerum à Prometheo præmonitus Hercules, Atlantem hac arte fefellit. Suſtine, inquit, donec peram capiti componam, ut facilius humeris onus incumbat. ille humi poma deponens, cœli onus ſubiuit: at Hercules poma colligens uale dixit Atlanti, ac ad Euryſtheum ea ipſe detulit. Quidam & mala dicunt à Bœotijs ſacrificari Herculi: unde Herculis ſimulachra nonnulla ab antiquis fingebantur tria mala ſiniſtra geſtantis, cuius ſignificationem ſuperius adſcripſimus: triplicem ſcilicet illius uirtutem fuiſſe, non iracundum, non auarum, non uoluptuoſum. Eſt adhuc uidere in Capitolio Herculis coloſſus aheneus malum manu porrigentis, quem ſuperioribus annis effoſſum audiui, ubi olim fuerat ipſius Herculis ara maxima, ad forum boarium. Sed ne hiſtoriam mittam, ſunt qui Herculem ipſum, non Atlantem, ad hortos Heſperidum

ſperidum profectum aiunt, draconemq́; peruigilem domuiſſe, quem nonnulli ex terra natum, quidam ex Typhone, & Echidna, centumq́; capita, centumq́; uoces habuiſſe. Alij uolunt id paſtoris fuiſſe nomen, nec poma, ſed oues fuiſſe, quæ aureæ ideo appellatæ ſunt, uel propter earum decorem, ſiue quod ex pecoribus antiquis diuitiæ conſtabant, unde etiam aurea uellera dicta ſunt. Nec deſunt qui in Chemicam artem hæc uellera referant, ut Euſtathius & Suidas, id quod in noſtris annotationibus clarius oſtendi. Huic quoq; fabulæ locum dedit uocabuli ambiguitas, Græci enim & pomum & pecus eadem dictione ſignificant, hoc eſt, τὸ μῆλον. Solet à doctis quæri unde Hercules Melius dictus ſit. Quidam non à pomis, de quibus modo egimus, neq; ab ouibus, ſed aliã quampiam afferunt hiſtoriam. Bos, aiunt, cum eſſet Herculi immolandus aufugit: cum uero nihil eſſet quo res ſacra deo fieret, malum, quatuor ſuppoſitis ramis pro pedibus, & duobus pro cornibus, in formã bouis, illi in ſacrificium oblatũ eſt. Vnde in tenues & frugales, qui nomen quidem magnificũ gerunt, at nullis opibus pollent, prouerbium factum eſt, Melius Hercules, hoc eſt, ex malo factus Hercules. Dicitur & malũ Herculis, ut ex Apollodoro Zeno

bius tradit. At Pollux in primo ab his euariat. Ait enim in Bœotia de malis fructibus Herculi rem ſacram fieri, idq́; ea cauſa contigiſſe, quod cum fortè aries ei in ſacrum adduceretur, Aſopus fluuius adeò excreuit ut adduci non poſſet, tum qui ſacrum procurabant malum maturum & pulchrum pro ariete accipientes, ei quatuor feſtucas pro pedibus, & duas pro cornibus infixerunt, atq; eo modo rem ſacram peregiſſe: unde poſtea apud Thebanos & Bœotios id moris permanſit, uocãtes μῆλον ἡρακλῆς. Sed his miſsis Heſperidum ſequamur fabulã, quam Heſiodi expoſitores ita interpretãtur, ut per eas, ueſpertinas horas, per poma aurea, ſtellas atq; aſtra intelligant. Herculem uero iam ſolem appellari non ſemel diximus. Surgente autem ſole aſtra rapi uidentur, hoc eſt occultari, & idcirco Herculẽ τρυγῆσαι, hoc eſt, poma aurea abſtuliſſe dicimus. Alij à Nereo Herculem monitum ſcribũt, eum non poſſe Heſperidum mala colligere, niſi Atlantis ope iuuaretur, atq; ideo ad Atlãtem iuiſſe, cœlumq́; pro eo tuliſſe. Quidam Heſperidas puellas ab Hercule liberatas tradunt, cum fortè ludentes à piratis in littore raptæ fuiſſent: quas cum patri reſtituiſſet, ab eo aſtrologiam ac ſphærarum rationem edidicit: unde eſt poëtis anſa fabulandi præſtita, ut Herculem

canerent

eanerent humeris cœlum ſuſtinuiſſe magiſtro Atlante firmius. Xenagoras putauit Atlantem primum fuiſſe qui ſyderũ rationem excogitarit, à quo id ſit edoctus Hercules, & ita poſt Atlantem ſecũdas tuliſſe: uerum mox grauioribus ſtudijs operam cum daret, aſtronomiam ipſam Atlanti reliquiſſe. Alij Herculem cœlum ſuſtinuiſſe uolunt, cum bello giganteo dei omnes fermè in quodam cœli angulo delituiſſent: quod non ſine ratione factum nos putamus. Nam cum gigantes, qui impij fuerũt, deorum immortalium religionem cultumq́; penitus tollere tentarent, eum Hercules ſemper incolumem ſeruauit, qui ut à diligentiſsimis rerum ſcriptoribus obſeruatum eſt, maxime religioſus fuit, atq; perinde ad iuramenta minime procliuis, quippe qui ſemel tantum toto uitæ ſuæ tempore iuraſſe perhibetur, idq́; Phyleo Augiæ filio. Qua cauſa factum arbitror, ut inter gentium iuramenta ipſius Herculis nomen ſit longe frequentiſsimum. Torridã zonam, & Libyæ æſtuantes harenas incolumis pertrãſiuit, quod olim miraculo adſcribebatur, nunc uero minimè, ut tot noſtrorum temporum nauigationes oſtendunt. Inſuper Hercules Breuia & Syrtes naue amiſſa pedes ſuperauit. Sed quoniã incidimus in Lybiæ mentionem, hoc loco addendum eſt quod ab Alexãdro

polyhiſtore traditur et Ioſepho, cũ de Africa uterq; loqueretur. Filijs autem Abrami auxiliũ præbuiſſe Herculẽ in Libya, et duxiſſe uxorem filiã Iaphran nomine Hecæam, & genuiſſe ex ea Dodorim filiũ, cuius fuit filius Soron, ex quo barbari Sorophaci nominantur. Ibidẽ Græci fabulantur ab Hercule Antæum Neptuni et Terræ filiũ palæſtra deuictũ, coronatumq; à Mercurio poſt certamen: cuius quidẽ Antæi ea uis erat, ut quoties matrem Terrã attingeret, eo fortius & acrius hoſti inſtaret, atq; ea de cauſa illum ſublatũ brachijs & pectore nitens Hercules compreſſit, ut adhuc in ſtatuis antiquis marmoreis præclarè cum Romæ, tum alibi cernitur. Sunt qui fabulam interpretentur, quod Antæus in palæſtra eſſet in ſupplantandis hoſtibus, implicandisq; & explicandis humi nexibus, peritiſſimus. Sed de Terræ filijs qui dicuntur, qui Iouis, qui Neptuni, alibi plura, nunc ideo reliquam huius hiſtoriæ partem proſequemur. Columnas in occidente, quæ de eius nomine Herculeæ dictæ fuerunt, erexit, de quibus inter alios longa eſt Strabonis diſputatio. Has certe Pindarus in Olympijs poſuiſſe uidetur, pro eo quod eſt ſummã attingere, ita ut interpres obſeruat, prouerbij uice uſurpetur, Herculis colũnas attigit. Has uero columnas Briarei quidam uocauere. Inuenta

eſt

eſt item Herculis columna in Italia, ut Ariſtoteles ſcribit. De ijs uero quæ in Africa ab eo poſitæ fuerunt, ſuperius diximus. Mediterranei maris oſtia obſtruxit, ne cete ac immaniores oceani belluæ in ipſum influerent. Alij rem ita factam uolũt: Calpen & Abylen montes prius iunctos fuiſſe, mox ab Hercule patefactos, appellatosq; Herculis columnas. Quidam hos ipſos montes procul ſpectantibus geminas columnas uideri dicunt. Alij in Tyrios, & eis datum oraculum, quod coloniam deducerent ad Herculis colũnas. Referunt nonnulli à colũna poſita in tẽplo Herculis Gaditani, in qua templi ſumptus deſcriptus erat. Alij quoq; alia dixerunt. Sed & præter Herculẽ, Bacchum quoq; et Alexandrũ in ſuarum expeditionũ terminis columnas poſuiſſe memoriæ proditum eſt. Hercules præterea ipſe à balæna aliquando deuoratus fuiſſe dicitur, ex qua tamen incolumis emerſit, niſi quod eſt omnibus pilis exutus, ob ſcilicet internum belluæ calorem. res quidem ut hiſtoria à Græcis traditur, quam & in Ionam repetit magnæ apud Chriſtianos autoritatis Theophylactus. Eandem & Lycophron attigit, Et Zezes Iſaacius interpres explicat. Buſirin Aegyptium regem, hoſpites necantem, occidit, & cum eo eius filium Ithidamanta, & Calbin

præconem, ut Pherecydes prodidit. Sint licet inter ſcriptores, inter quos Eratoſthenes, qui dicant, nullum unquam fuiſſe hoc nomine regem, ſed huiuſce crudelitatis nomen illi irrogaſſe Oſiridis ſepulchrũ, ad quod homines rufi necabantur, quod eo colore Typhon Oſiridis occiſor fuerat: deinde boues rufæ, unde conflatũ ſit Βούσιρις nomen, & aræ Buſiridis. Conſtans tamen ſcriptorum opinio eſt, illum Neptuni filium fuiſſe & Libyæ Epaphi, licet Agathon Samius Aganippes filium dicat, tyrannidemq́; apud Aegyptios exercuiſſe: de cuius crudelitate in annotationib. noſtris multa diximus, deq́; illius monitore Thraſyllo, qui primus Buſiridis imbuit aras, ut Ouidius & Claudianus poſt Græcos canũt. Domaſcũ de rupe præcipiti deiecit: et Termerum, hominum capita quaſſantem uerberibus, Hercules interemit: unde & Termerum malum, cuius in Theſeo meminit Plutarchus. Aemathionem Aethiopum regem bello ſuperauit. Cretam inſulam, quod ibi Iupiter natus eſſet, quodq́; Cretenſes ingenti illũ honore affeciſſent, à feris immunem reddidit. Idem & in Libya feciſſe dictus eſt. Tempe locum amœniſſimum in Theſſalia, ut multorũ eſt opinio, aperuit patefactis montibus. Eſt quoq; in Græcorum fabulis traditũ, ipſum Herculem Mycaleſſi

mare

mare aperire ſolitũ ſingulis noctibus, rurſusq́; claudere. Minei fluminis alueũ in Bœotia effodit. Olbio item fluuio per Pheneatarum campum alueum fecit longitudine ad quinquaginta ſtadia. Hunc Arcadum quidam Arianium, non Olbium uocant. Illud quoq; miraculum traditur, quod cum ſitiret Hercules in Theſſalia apud Anticyran, fluuium emerſiſſe, ad ferendam ipſi ardenti opem. flumini nomen inditum Dryas, qui à Sperchio XX. ſtadijs diſtat. Myriagadan urbem tunc opulentiſſimam in ſeruitutem redegit. Celtas Gallos à mactandis humanis uictimis abſtinere coëgit, Alexiamq́; apud eos urbẽ condidit, quæ earum mox gentiũ metropolis facta eſt. Albionem & Beergionem Neptuni filios deuicit. Cum uero inter pugnãdum telis fortè deſtitutus eſſet, patrem orauit, qui illi lapideã è cœlo pluuiam demiſit, unde ſunt ei tela ſumminiſtrata. campo adhuc nomen lapideo. Germani quoq; Herculem ſuas regiones luſtraſſe in ſuis annalibus tradidere. quod & Britanni. Quin et ab Albione, de quo modo meminimus, Britannia inſula prius Albion nuncupata eſt. Veniſſe poſt hæc in Italiam Herculem ferunt, montiumq́; iuga & Alpeis pateféciſſe, uiamq́; ſtrauiſſe, quæ et à ſuo nomine Herculea dicta eſt. Sunt & qui Tauriſcum ab Herculis tauris urbem ibi no-

minatã uelint. Deſcendit deinde in Latiũ, ubi à Potitio & Pinario benignè eſt hoſpitio ſuſceptus: quibus et quo ſacrificãdi ritu ſe coli uellet, mane uidelicet et ueſperi, mõſtraſſe literarũ monumẽtis relatũ eſt. Sedenim cum primũ res diuina mane facta eſſet, ueſperiq́; pro inſtituto repetenda foret, Potitius prior aduenit, Pinarius uero ſerior, extis iam redditis. Vnde iratus Hercules ſtatuiſſè dicitur, ut Pinariorũ familia tantũ miniſtra eſſet epulantibus Potitijs: ex quare et Grãmatici à fame pinarij uocabulũ deflexũ arbitrantur. Eſt quoq; in hiſtorijs proditũ, quod Appius Claudius cenſor cũ aduerſus reſponſum ad ſeruos publicos ſacra Herculis tranſtuliſſet, luminibus eſt orbatus, & Potitiorũ gens quæ prodidit, intra unius anni tempus extincta eſt. Decima quoq;, ut quidã putant, ab his honoratus fuit. Manſerunt Romæ longo tempore Pinariorum & Potitiorum familiæ. Creditum eſt antiquis, qui Herculi decimam uouerent, ditiores et locupletiores fieri: eam probat Plutarchus opinionem, quod Hercules ipſe boum Geryonis decimã immolarit, uel quod Romanos ab Hetruſcis decimari ſolitos liberauerit. Sunt qui putãt eo moriẽte prædixiſſe, qui facultatũ decimã conſecraſſent, eos demũ locupletes futuros. Quinimò & Hercules ipſe diuitijs præeſſe creditur.

tur. Vnde, diues amico Hercule, ut ait Horatius, & dexter Hercules erat in uotis. Tametſi hoc ipſius uocabulũ in cuiuſdã mercenarij ſomniũ ab alijs refertur, quo Hercules occultũ theſaurũ ſomniãti oſtendit. Celebratur et illud M. Octauij Herẽnij ſomniũ, quo Herculis uictoris illi cognomẽ eſt additũ. Cum enim Octauius mercaturã exerceret, idq; illi pro animi ſententia ſuccederet, decimã Herculi nõ dedit. Accidit autẽ cũ nauigaret, ut à piratis circũueniretur: ille, ut erat animo intrepido & forti, ſtrenuè ac animoſe pugnauit, atq; ita piratarũ manus euaſit: in ſequẽti uero nocte ei uiſus eſt adeſſe Hercules in ſomnijs, qui illũ moneret, eũ ſeruatũ ſua opera. Qua de re Octauius tãti beneficij haud immemor, area impetrata à magiſtratibus, Herculi uictori ædem poſuit, appoſita in rei teſtimoniũ et monumẽtũ ſtatua cũ inſcriptione. M. tamẽ Varro Herculẽ ideo uictorem nuncupatũ aſſerit, quod omne ferarũ et noxiorum animalium genus ſuperauerit. Fertur & aliud Sophoclis poëtæ ſomniũ, quo deũ uidere uiſus eſt prodentẽ ſibi, quinam grauẽ aureã paterã ex æde ſurripuiſſet: quod ubi cõpertũ fuit, ab Areopagitis phanum indicis Herculis eſt conſtructũ. Sed cũ de Hercule ſomnia narrarẽ, cur nõ & quæ de interpretatione ſomniorũ ſcribit Artemidorus hoc loco affe

ram? Is igitur libro ij. Onirocriticω̃n ad Caſsium Max. ſcribens ait: In ſomnijs Herculem uel ipſius ſtatuam uidere, omnibus bene inſtitutis & ſecundũ legem uiuentibus, bonum ſignificare, & præſertim ſi aliqua ſint iniuria affecti. Nam & hic deus cum inter homines degeret, affectis iniuria defenſor fuit ac uindex: ijs uero qui præter leges uiuerent, alijsq; iniurias inferrent, & iniqua agerent, iniquus fuit deus ac malus. Atq; adeò hac ratione bonus eſt ijs qui certamen ineunt, uel iudiciũ, uel pugnã: hinc & καλλίνικος θεὸς uocatus eſt. Qui autem cũ Hercule uerſari uidentur, aut cum eo aliquid efficere, aut ſimul cibum capere, eiúsue aliquid habere, aut ab ipſo leonis pellem, clauámue, aliúdue ex ipſius armis ſumere, obſeruatum eſt id malum ſignificare & abſurdum, & longa experientia didici. Quàm uero decens eſt, & rationabiliter cõtingit & rectè, ut qua deus uſus eſt uita ipſe dum inter mortales eſſet, hac eadem & ea per ſomnia intuentibus præbeat? Hæc fermè Artemidorus. Sed iam miſsis ſomnijs, reliquum fabulæ agamus. Hercules cum adhuc in Italia eſſet, Euandrum literas docuit, ut autor eſt Iuba, à quo & diuino honore affectus eſt. Nec deſunt qui autore Polybio, Pallãta, qui à Poëta Euandri filius dicitur, Herculis filium dicant, ex Dyna

Euandri

Euandri filia. Ab Euandro mox ara maxima eſt Herculi dicata, quam ei ſtatuendam Delphicus Apollo multo antè prædixerat: uel, ut alij tradunt, Euandro à matre Carmente, quæ & Nicoſtrata, et Themis dicta eſt. Ara uero hæc maxima cõſtructa fuit in foro boario, quod & ab Herculis bobus mactatis dictum ſcriptores uolunt. Traditum eſt cum hæc ara aliquando incenderetur, à Pinarijs ſeruatã fuiſſe, id quod & Vergilius ſubinnuit, cum ait:

Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.

Quam circũ aram lectiſternia fieri religio fuit, ſacerdotesq; aperto capite ibi, & populeis coronis euincti tempora, prius rem ſacram faciebant, quas quidem coronas in laureas poſtea commutauere. Illud obſeruat Varro, nefas fuiſſe canem intra muros apparere, dum Herculi ſacra fierent. Quidam conſuetudinem hanc ex Cerbero emanaſſe uolunt: alij in hiſtoriam Lycimnij pueri auguris à cane occiſi referunt, cuius cauſa ab Hippocoontibus prælia multa decertare coactus fuit, in queis multos ex amicis amiſit, atq; inter cæteros Iphiclũ fratrem: Nam id quod à nonnullis ſcribitur, Herculẽ odio ſemper canes habuiſſe, parum cõſtare uidetur: comitem enim canem Græci ſcriptores Herculi attribuerunt, id in primis afferentes: Cum Tyri, aiũt, Hercules deam-

bularet, canis illi comes ex uetuſta heroum lege aderat: qui cum fortè mordicus muricem fregiſſet, conchylij cruore os infecit: quam rem cũ uidiſſet Nympha *Tyros, quæ perditè ab* Hercule *amabatur, ſi uis, inquit,* Hercules *noſtri tibi copiam fieri, iſtius mihi coloris ueſtem infectam afferas: quam rem ſecum altius ueſtigãs* Hercules *(quæ enim amantis maior eſt induſtria?) purpuræ cruorem tandem cognouit, unde & eius infecturam excogitauit.* Quidam *ad* Phœnicem *regem eam purpuram delatã ab* Hercule *tradunt, qui primus eam geſtauerit.* Muſcas *præterea legimus* Romæ *in eadem* Herculis *æde, de qua modo meminimus, non intraſſe, ut obſeruauit* Plinius. *Verum & à* Græcis *talis fabula narratur, quod cum in* Olympia *rem diuinam faceret* Hercules, *& muſcæ illi ualde moleſtæ eſſent,* Iouem *oraſſe ferunt, quem à re* Apomyion *uocauerunt, atq; ita muſcæ omnes ultra* Alpheũ *amnem euolauere: quare ab eo tempore* Elienſes Iouẽ Apomyion *muſcas abigentem, multa ueneratione coluerunt.* Solinus *id accidiſſe* Romæ *tradit ea ratione, quod muſcarum deum* Myagrum *rogauerit.* Canes *uero, propter clauam templi foribus appoſitam. At ne hiſtoriæ textum mittamus, cum in* Italia *eſſet* Hercules, Italos *ab humanis uictimis reuocaſſe dicitur: & ne rei nouitate*

uitate turbarentur, mutato ritu patrio, hominum ſimulachra ac ſcirpeas effigies XXX. exturbari ex ponte ſublicio in Tiberim inſtituit. Eas uero imagines Argeas dixere, ab Argiuis ſcilicet Herculis ſocijs. Cacum mox prædonem Vulcani filiũ, ore ac oculis ignem efflantem, quod uaccas abegerat in mõte Auentino occidit, qui ab Herculis filio, ut multi tradũt, cognominatus fuit. Cernitur, ut credit uulgus, hodie quoq; eius ſpeluncæ pars. Caca Caci ſoror, quod Herculi indicium feciſſet de boum furto, diuinitatem eſt conſecuta, quæ dea à Romanis colebatur, à quibus & Faula quoq; dea, quam Herculis ſcortum fuiſſe ex Verrio ſeu Ennio Lactantius docet. Hæc uero de Caco Solinus. Cacus, inquit, habitauit locum cui Salinæ nomen eſt, ubi trigemina nunc porta: hic, ut Cælius tradit, cum à Tarchonte Tyrrheno, ad quem legatus uenerat Marſiæ regis, ſocio Megalæ Phrygi cuſtodiæ foret datus, fruſtratus uincula, unde uenerat redijt, præſidijs amplioribus occupato circa Vulturnum et Campaniã regno, dum etiã ea attrectare auderet quæ cõceſſerant in Arcadũ iura, duce Hercule, qui tũc fortè aderat, oppreſſus eſt. Hactenus quidem Solinus. Charybdim anũ uoraciſsimã, quæ ipſa boues abegiſſe fertur, in mare deiecit, nomenq; dedit periculoſiſsimo

maris Siculi loco. quidam ab Ioue fulminatam tradunt. Celebratur & illud Herculis factum: nam cũ prope montẽ Cimim eſſet Hercules, à populis prouocabatur, ut uirtutem ſuam oſtenderet. Ille autem uectem ferreum quo exercebatur, terræ infixit: qui cum à nullo poſſet auferri, rogatus ipſe abſtulit: ex quo loci foramine & hiatu ſubitò tãta uis aquæ effluxit, ut lacũ ibi monti cognominem effecerit. Cũ uero per Italiam Siciliam uerſus cum bobus Hercules proficiſceretur, nimioq́; æſtu ſitiret, à muliere aquam petijt, illa ſe non poſſe præbere reſpondit, quod is dies Bonæ deæ ſacer erat, quo nephas ſit uinum quenquam guſtare, quod ſit à muliere paratũ. Iratus hac re Hercules, ipſe quoq; ſuis ſacris mulieres interdixit, Potitioq́; ac Pinario ut eas arcerent imperauit, atq;, ut puto, non aliam ob cauſam mulieres etiam ab Herculis iuramento abſtinebant. Hanc rem de Hercule ſitiente Alcimus Siculus diuerſe retulit, ut eſt apud Athenæum: ea enim cauſa factum ait, ut Italicæ mulieres uino abſtinerent, & aquam biberent. Cum apud Crotonem cuiuſdam uxor illac Herculi iter facienti, potumq́; petenti, uiro perſuaſiſſet, iniquum eſſe ſi quod conditum haberet uinum dolio, illud effoderet hoſpitis eius gratia, atq; ideo aquam iubebat afferri: uerum cum in

porta eſſet Hercules, mulierisq́; uerba audiuiſſet, uirum quidem ipſum laudauit qui eum ingredi iuſſerat ut dolium conſpiceret, quod lapideum factum inuentum. Atq; hac cauſa, inquit Alcimus, factum eſt ut Italicæ mulieres perpetuò aquam biberent, quod hac noſtra ætate minimè uerum eſt: plurimæ enim bibaces ac ebrioſæ ſunt. Apud Phlegræũ montem, quem ob incendia multi Veſuuium eſſe putant, Gigantes uicit, id quod tamen apud autores eſt in ancipiti. Huic monti ſuppoſitum fuiſſe Alcyoneum gigantem traditum eſt, qui cum alijs ab Hercule deuictus fuit. Ibidem & Herculeũ oppidum fuiſſe accepimus. Græci nonnulli Pallenen Thraciæ potius Phlegram nũcupatam uolunt, quæ à gigantibus incoleretur, ad quos ubi Hercules appulit, cum eis pugnauit: cumq́; fortè in ea pugna multa fulmina decidiſſent, finxere poëtæ deorum bellum cum gigantibus fuiſſe. Phlegram uero ob id quidam dictam uolunt, quod Hercules ibi gigantes à ſe deuictos combuſſerit. Gigantes autem M. Tullius & Macrobius aliud nihil ſignificare contendunt, quàm impiam quandam hominum gentem deos negantem, et ideo exiſtimatam deos de cœleſti ſede pellere uoluiſſe. Horum quidam gigantum pedes in Draconum uolumina deſinere dictos, quod ſignificat, nihil eos rectum

nihil cœleſte cogitaſſe, totius uitæ eorũ greſſu atq; progreſſu in inferna uergente. Baias *quoq; in* Italia *ab* Herculis *ſocio, uel ut alij,* Vlyßis, *dictas fuiße legimus.* Viam *alteram atq; aggeres prope* Auernum *ſtruxit de ſuo nomine.* Eſt *in* Campania *in* Stabiano, *quæ uocatur* Herculis *petra.* Apud Locrẽſes *cicadas precibus ſuis mutas effecit: alij apud* Rhegynos, *qua de re uariè à ſcriptoribus traditur, ut in noſtris annotationibus collegimus.* Erythræos *à beſtiola uineis infeſtißima, quam illi ipon uocant, liberauit, unde & ab ijs* Ipoctoni *nomine colitur: uti etiam ab alijs* Conopionis, *quod eos à culicibus, quos illi conopas uocant, tutatus eſt.* Reperias *aliquos qui cornopiona, non conopiona legant, quod cornopas fugarit, hoc eſt, locuſtas, quas alij* πάρνοπας *uel* ἀκρίδας *uocant.* Baulis *nomen dedit, quod ibi boues ipſius ſint ſtabulatæ: nam & primũ* Boalia *dicebantur.* Pompæi *quoq; oppidũ in* Campania *ab* Herculis *triumphali pompa dictum eſt.* In Siciliam *cum bobus traiecit, eo cornu bouis unius innitente, ubi à* Nymphis *calidis aquis eſt refotus.* Eſt *ab autoribus* Græcis *proditum, poſt labores* Herculi *calida ſubminiſtrata balnea à* Pallade *fuiſſe, ad ſudores uidelicet et ſcabies abſtergendas, quas ex laboribus contrahebat: quod non ſine ratione factum quiuis*

indicare

iudicare poteſt. Viro enim forti et ſapiēti, poſt labores ſua ipſius uirtus quietē ac trāquillitatem affert. Inoleuit inter Græcos prouerbium, Herculea lauacra, & Herculea ſcabies. Sint licet qui dicāt non à Pallade, ſed à Vulcano ea balnea primū feruētia ſubminiſtrata, & deinde calida, cuius ſententiæ eſt Ibycus Lyricus poëta. Erycē Butæ, qui monti in Sicilia nomē dedit, palæſtra uicit, regnoq́; priuauit. Deinde Leucaſpim, Peudicratē, Buphonū, Glycatan, Buten, & Crytiden Siculorū duces interfecit. Proſerpinæ ac Cyanæ Nymphæ, Proſerpinæ nutricis ſacra inſtituit. Cū illi boues in Sicilia ſublati fuiſſent, Motye mulier eos indicauit Herculi, unde ab ea Motye ciuitas in Sicilia eſt nuncupata, ut ſcribit Hecatæus. Ab Agyrinæis diuinis honoribus ſe coli paſſus eſt, lacumq́; pro mœnibus, ut eis gratiam referret, de ſuo nomine effodit. Templū Geryoni in Sicilia poſuit. Legimus quoq; oraculū et ſortes Geryonis, ſed ubi locorū eſſent, haudquaquā integre ſcitur. quidā prope Patauiū arbitrātur. Iolao ſacra inſtituit, quæ Iolaia dicuntur, ab alijs Heracleia. item certamen Iolaium. Qui uero Iolaijs initiabātur, nutrire tantiſper comas opus erat, quoad opimis uictimis deum placaſſent: ſi qui ab ijs inſtitutis defeciſſent pueri, muti atq; imbecilles euadebāt, nec liberari aliter

poterant, niſi uotis eiſdem deo cõciliato, ueniã impetraſſent. Lacinium prædonem interemit. Iunoni Laciniæ templum erexit, ubi & eodem nomine promontorium. Solunta malum hoſpitem & ferum deuicit, à quo, ut Hecatæus & Stephanus putant, ciuitas Σολοῦς in Cilicia eſt nominata. Crotonem incaute occidit, à cuius nomine urbẽ ædificandã prædixit: qua de re ita à Poëtis traditur, quod cum Hercules rediret ex Hiſpania cum bobus, à Crotone eſt hoſpitio ſuſceptus, cui prædixit ibi futurum, ut aliquando ciuitas conderetur, id quod poſtea euenit. Nam cum Micylus Argolicus in ſomnis ab Hercule monitus fuiſſet, ut patriam relinquens ad Aeſaris fluminis oſtia proficiſceretur: id uero Micylus facere adortus à ſuis ciuibus captus eſt, quod cõtra patrias leges migrare uoluiſſet: id enim per leges erat prohibitum. Cum autem de capite ferenda eſſet ſententia, ſorteſq́; educerentur, orauit Herculem Micylus, cuius monitus ſequi uoluiſſet, ut ſibi eo caſu adeſſet: tum dei numine factum eſt, ut ſortes quæ atri coloris erant, in candidum uerſæ ſint, unde eſt Micylus abſolutus, qui mox oraculum Herculis ſecutus, ad Aeſarem fluuium peruenit, ibiq́; urbem cõdidit, quam de nomine ibi ſepulti Crotonis, Crotonem uocauit. Inferos deinde Hercules adijt, quem quia

Charon

Charon portitor territus Stygem paludem tranſuexerat, per annum in compedibus fuiſſe, Græci poëtæ fabulati ſunt. Sicut & qui Plutonem uulneratum tradant. Pindarus quidem immotam eum tenuiſſe uirgam ait, qua mortalium corpora ad inferos deducit, id quod in allegoriam ab alijs refertur. Hercules uero ab inferis Theſeum abduxit. Fabulã quidam ſic interpretantur, quod Theſeum Hercules è manibus Adonai Moloſſorum regis eripuit, à quo in carcerem coniectus fuerat, quod ipſius regis filiam unà cum Perithoo rapere uoluiſſet, quẽ iam à regijs canibus lacerari idem reum iuſſerat. Amicitiam uero cũ Theſeo habuiſſe Herculem ab ea uſq; pugna legi, quæ cũ Lapithis & Centauris fuit: cœpiſſe autem incrementum in Amazonum bello, in quo ab Hercule Antiopa Amazone donatus fuit Theſeus. Cerberũ dein Plutonis tricipitem canem, uel ſi Heſiodũ audiamus, πεντηκοντακέφαλον, hoc eſt, quinquaginta capitũ, ab inferis traxit. Sunt & qui ei draconis caudã attribuãt, dorſumq; uarijs ſerpentum capitibus refertũ, quo monſtro uiſo poëtæ ſolem obſcuratum prodidere, hominemq; ibi in proximo præ timore in ſaxum obriguiſſe. Sunt qui ſcribant non propter Cerberũ hominem ſaxum factum, ſed cum is ſuapte natura timidior eſſet, no-

men Herculis uſqueadeo formidabat, ut ſe in ſpeluncam abdiderit. At cum fortè cõtigiſſet Herculem illac iter facere, caput è ſpelũca exeruit, Herculemq́; proſpexit: quo uiſo in ſaxum diriguit, atq; inde factum uolunt prouerbium, Timidior proſpiciente, quod in timidos & ſtupidos dicitur. Ex Cerberi canis ſpuma aconitum uenenorum præſentiſſimũ proueniſſe ferunt, idq́; factum prope Heracleam Ponticam: quidam in Tænaro Laconiæ promontorio. Qui in Argonautica ſcripſerũt commentaria, promontoriũ eſſe aiunt prope Heracleã, Acheruſium nuncupatum: unde ab Apollonio littus maris Acheruſias dicitur. At uero Herodorus et Euphorion ibi fellem Cerberum euomuiſſe tradunt, ex quo ſit aconitum procreatum. Andron Teius Acheronta regẽ fuiſſe ait eorum locorum, cui filia fuit Dardanis, ex qua Hercules Pœmena filium ſuſtulit, à quibus fortè per ea tempora ibi defunctis, loca quæ urbi Heracleæ circumiacent, Dardanis & Pœmen nominata ſunt. Sed ut ad Cerberũ reuertamur, ij qui in poëtica theologia excelluerunt, per Cerberum interpretantur cupiditates, uitiaq́; omnia, quæ (ut diximus) Hercules ſuperauit: nonnulli terram, quæ uoret & conſumat omnia: quidam infectos ac peſtilentes terræ uapores, qui ab Hercule, id eſt, ſole diſſipantur

diſcu-

diſcutiunturq́;. Alij per Cerberum ueritatem intelligi uoluerunt, quã in profundo, quaſi puteo, ut Democritus dicebat, latitantem, in apertum Hercules, et apud homines produxit. Cerberũ uero ait Palæphatus tricipitem uocitatum ab urbe, de qua etiã ſuperius, Tricarina, à qua et Geryonis fabula. Poſſidebat, inquit, Geryon & canes ingẽtes cũ armentis, uni quidem nomen fuit Cerberus, alteri Orthus. tametſi male Orus à multis legitur, quẽ Hercules interemit in Tricarina urbe quam diximus, nondum abactis bobus. At uero Cerberus unus boues conſectabatur cuſtodiebatq́;, quem Moloſſus Micenæus habere optabat: ſed cum id fruſtra tentaſſet, à paſtoribus impetrauit ut in cauernis Tænari occultato cane, illuc fœminas ad coitũ mitteret, ut ſaltem ex eo ſobolẽ acciperet. Hoc tẽpore Euryſtheus Herculem ad canis inueſtigationem ire iuſsit, qui tota ferè luſtrata Peloponneſo, tandem in Tænarum, ubi canis latitabat, peruenit, ex cuius ſpecu eũ abduxit: ex qua re confictum eſt, Herculem ex Tænari antro Cerberum ad auras traxiſſe. Atq; hactenus ferè ille. Sed & alij ita de Cerbero ſcribunt, inter quos Hecatæus Mileſius: Serpentem, inquit, in Tænaro fuiſſe, qui Plutonis canis ea de cauſa eſt appellatus, quod eius ſerpentis tantulo morſu homines inter-

irent, eum ſerpentem, id eſt Cerberum, Hercules ad Euryſtheum detulit, & mox rurſus ad inferos reduxit, ut ſcriptum comperi in græco XII. Herculis laborũ libello, qui ſine autoris nomine apud me eſt, & in quo non uulgaris gentilium rerũ eruditio. Homerus quidem primus canem Plutonis uocauit, ſed non qualis eſſet oſtendit. Poſt Homerum alij Cerberum nominauerunt, & tricipitẽ eſſe dixerunt. Populea uero corona cũ ad inferos deſcenderet uelaſſe caput perhibetur, cum iam ex itinere laſſus eſſet: unde foliorum pars quæ illius temporibus adhæſerat, candida, quæ exterior fuerat ex atro inferorum colore nigra permanſit. Sed & ij colores in ea arbore adhuc cernuntur. Quidam ad naturalẽ cauſam referunt. Nam & phyſici quidam Herculem tempus ſignificare autumant, ideoq́; illi populum attribuunt, quæ bicolor eſt: tẽporis enim partes, hoc eſt, diei & noctis bicolores ſunt, ut in Cleobulinæ ænigmate clarius à nobis exponitur in noſtris ad Picũ ænigmatum interpretamentis. Aliam hac de re interpretationem apud Græcos ſcriptores inuenio, quod ſcilicet Hercules ex Theſprotide regiõe iuxta Acherontem fluuium eam regionem alluentem, populum ad Græcos tranſtulerit, atq; inde factum ut ex inferis eam aduexiſſe dicatur, quod Acheron fluuius

uius inferorum quoq; eſſe perhibetur, & ad hoc alludens Homerus, Acheroida populum uocat. In ludis quoq; Herculi inſtitutis populea corona, et illius ſacris coronari ſolitos uictores, Pindarus & Vergilius teſtes ſunt. Alceſtin Admeti regis uxorem ab inferis liberauit: uel ut fabulæ tradunt, cum Hercules mortem obuiam habuiſſet, eam catenis adamãtinis colligauit, nec prius ſoluit, quàm Alceſtin in uitã reuocaſſet. Alij quod ab Acaſti manibus liberatã Admeto reſtituerit, fabulæ locum datum putant. Fabulam hanc ſubobſcurè Claudianus in uictoria contra Alaricum attigit, cum cecinit:

Creditur Herculeis lucem renouaſſe lacertis
Fœmina, dilecti fatis impenſa mariti.

Lycum regem cũ ab inferis eſſet reuerſus interemit, quod humili loco natus Megaræ nuptias optaſſet. Furore quoq; percitus filios ac coniugẽ necaſſe perhibetur, qua de re Tragœdiæ extãt: liberatum uerò furore elleboro, à quodã uiro Anticyræo legimus. Sunt qui Iolao Megarã cõceſſam ſcribãt, qui Iphicli fratris fuit, et quo Hercules aliquãdo auriga uſus eſt. In commentarijs in Pindarũ legi Iolaũ natũ ex Hercule fuiſſe. Sed uereor ne parum, ut multis alijs in locis, græca ea ipſa cõmentaria emendatè legantur. Expiatum uero Herculem Athenis à filiorum

nece, tradit Sozomenus in hiſtoria, in ſacris Eleuſiniæ deæ Cereris. Menecrates autem à Sibalo ſcribit. Octo tamen filios ab Hercule interfectos canit Pindarus, quorum hæc nomina, Therimachus, Creontiades, Ariſtodemus, Deicoon, Deion, Antimachus, Clymenus, Glenus. A Bato uerò & Pherecyde hi numerantur, Polydorus, Anicetus, Meciſtophonus, Toxoclytus, Patroclus, Manebrontes, Cherſibius. Quidam duos tantū ſcribunt, Therimachum & Deicoonta. Euripides his addit Ariſtodemum. Sunt etiam qui non ab Hercule hos pueros interfectos aſſerant, ſed uel à Lyco rege, uel dolo interceptos ab Augia, uel ab hoſpitibus quibuſdam, ut eſt à Lyſimacho proditum. Menecrates hos non Heraclidas, ſed Alcidas appellatos ait. Hippocoonta Hercules Tyndarei fratrem Sparta expulit, eiusq́; filios bello deuicit, Tyndareo in regno reſtituto. Odium autem Herculis in Hippocoonta ita conflatum aiunt. Cum Hippocoon cum filijs Herculem Iphiti cæde pollutum expiare abnuiſſent, & Oeonum adoleſcentem Lycimnij Alcmenæ fratris filium fuſtibus interfeciſſent, qui cum Hercule Sparten profectus erat, & Hippocoontis ædes ſpeculans canem allatrantem percuſſerat: quare in eos Hercules concitatus, patrem & filios

interfecit,

interfecit, inibiq; Palladis Axiopœnæ templum in rei memoriam cõſtruxit. Antiqui enim ποινὰς ultiones uocare, ut & nos, conſueuere. Hiſtoriam pluribus Pauſanias eſt executus. Acheloum fluuium Deianiræ nuptias optantem ſuperauit, qui uarias ſubinde figuras induebat: tandem taurus factus, altero eſt ab eo cornu priuatus, quod fortunæ & diuitijs ſacrum eſſe uoluit, ex quo Diuitiæ familiæ tuæ nomen, & inſigne deductum putatur: tametſi uariè de hoc cornu à ſcriptoribus refertur. Quidam enim eius fluuij caput, unum excluſiſſe tradunt, cuius irrigatione ea tota regio eſt facta fertilior, atq; idcirco cornu ipſum diuitiarum appellatum. Alij per cornu laborem Herculis intellexere, quo loca illa multa ubertate excelluerunt. Nonnulli in capram Iouis nutricem referunt, quæ Amalthæa dicebatur. Alij rem hanc ita interpretantur. Ammonem, aiunt, Libyæ regem uxorem Rheam cum duxiſſet, regnumq; circuiret, Amalthæam inſigni forma uirginem conſpexiſſe, cuius amore captum, ex ea filiam non matre indignã ſuſcepiſſe, ex quo rex Amalthæam regioni cuidã præfecit, quæ bouis cornu erat perſimilis, unde & occiduũ cornu dicitur. Cũ uero ea regio uineis ac pomarijs, cæteriſq; eiuſmodi locis eſſet referta, ab Aphris

cornu Amalthææ nuncupata eſt; unde & prouerbium emanatum quidam putant. Alij rem ipſam ita tradunt, ut Herculē ſecum aſſerant ſemper & ubiq; habuiſſe cornu, per quod quæcunq; uolebat aſſequebatur. Verū, ait Palæphatus, hiſtoriæ ueritas ita ſe habet: Amalthæa, inquit, hoſpitata eſt Herculem, cum per Bœotiam ad Iolaū proficiſceretur in Theſpias: cuius mulieris contubernio & ſpecie cum delectaretur Hercules, id Iolaus iniquo ferens animo, pecunias quas mulier illa in cornu quodam occultas habebat, clàm auferre tentauit, quod ijs mulier opportuna et neceſſaria Herculi ſubminiſtraret: unde factum eſt ut ab aduenis Hercules Amalthææ cornu habere diceretur, quod ea mulier cuncta Herculi neceſſaria proprijs ſumptibus compararet. Sicut & maiores tuos ANGELE audiui olim non uni Herculi, ſed toti Bibiennæ oppido aliquando annonam in eius maxima caritate diſtribuiſſe: qua re beneficij haud immemores ciues, publico edicto tuam familiam deinceps Diuitiam uocari ſtatuerunt. Sed hæc in præſenti parcius, aliàs pluribus, nūc reliquā Herculis hiſtoriā proſequar. Phyleum Theſprotiorum regem poſt hæc deuicit, ex cuius familia filium Tlepolemum ſuſtulit. Eurynomum puerum Architelis filiū, quem Cyathum aliqui appellant, Oenei pocillatorem,

Diuitia familia

pocillatorem,ſeu,ſi liceat dicere,pincernã,uino ma defactus,cõdylo,id eſt,digiti nodo ſeu articulo confecit,dum forte miniſtrans parum neſcio quid incautus puer deliquiſſet:quam ob rem dolore confectus, Calydone unà cum Deianira aufugiſſe dicitur. Puerum hunc Hellanicus Archiam uocatum ſcribit,alibi uero Cheriã. Sed Herodorus in XVII.de Hercule ſermone,Ennomon, et Cyathum Pyletis filiũ, fratremq; Antimachi,cui & ab Hercule ara cõſtructa fuit, ut Nicander ſcripſit. At uero Athenæus Rhananta puerum uocatum ait. Poſt hæc cum ad Euenum fluuium perueniſſet, Neſſum Centaurum Deianiram uiolare tentantẽ ſagittis confecit. Phyllantum Dryopum regẽ, qui ſacrilegio impius Delphici Apollinis templũ uiolauerat,contudit,ex cuius filia Antilochus ei natus eſt. Fuerunt uero Dryopes populi ad Parnaßi radices, qui uel à Dryope Lycaonis & Diæ filio,uel à Dryope Penei & Polydoræ, cognominati ſunt, uel ut alij, à Nympha eius nominis Eurypili filia:qui populi cum latrocinijs et immanitate notarẽtur,eos Hercules ſedes mutare coëgit. Sunt qui putãt quod contra Herculem à Thiodamante acciti fuiſſent,quo tempore ab ipſo Thiodamante ſpretus Hercules ei bouem abſtulerat: quare Deianiram quoq; armatã tum temporis

ab Hercule fuiſſe accepimus, quæ ſit nihilominus in mamma uulnerata. Coronũ dehinc Lapitharum regem mactauit. Dorienſes tutatus eſt, & Ormenium regem interfecit, ex cuius filia Aſtydamia Cteſippum procreauit. Cycnum Martis filium ipſe primo in fugam uerſus, dein reparatis copijs confecit. Hic quidem, ut Pindari interpretes ſcribunt, in Theſſalia prætereuntibus inſidias parabat, ut ex interfectorum capitibus templum Marti parẽti conſtrueret. In Herculis uero ſcuto græci expoſitores Martem ipſum aiunt, cũ filium protegeret, ab Hercule fuiſſe in femore uulneratum. Fuerat autem hic Cycnus Ceycis gener. Meminit & Cycni huius Diodorus. Sed in codicibus uulgatis pro Cycno, Cyonum legitur. Bolien quoq; puellam compreßit Hercules, ex qua natus eſt Olynthus, à quo Olynthiacus fluuius prope Apolloniam Chalcidicã fluens, ut eſt ab Hegeſandro & Athenæo traditum: cuius quidẽ Olynthi ſepulchrum apud fluuium fuiſſe idem ſcriptores prodidere. Olynthum uero ciuitatem Thraciæ Stephanus ab Herculis quidem filio denominatam ſcribit, ſed matrem non nominat. Vndecim etiam Nelei filios Hercules occidiſſe dicitur: cũ enim duodecim eſſent, omnes præter Neſtorem cõtra Herculem dixerãt, uel, ut ab alijs traditur, boues Erytheas abegerant.

abegerant. Neſtor uero eo tempore puer admodum apud Gerenios populos alebatur, unde et illi cognomen Gerenij, quẽ poſtea miro proſecutus eſt amore Hercules, ut nobis ſuperius eſt proditum: ei uero pepercisse Iſocrates in quadam oratione oſtendit, cum Meſſenem expugnauit. Sed inter hos Nelei filios mira de Periclymeno narrãtur, qui ut Proteus & Metra, in uarias ſubinde formas conuertebatur, idq́; illi conceſſum ab auo Neptuno, ut Apollonius & Heſiodus canũt: ipſum tandẽ Mineruæ conſilio Hercules in muſcã conuerſum, uel, ut alij tradũt, in apem, claua cõfecit. Inter ſcriptores latinos ſunt qui aquilam factum, non claua, ſed ſagittis confectũ aſſerant. Heſiodus utiq; & in ſerpentem, & in formicam quoq;, ac alia mutari ſolitũ dicit, id quod & in commentarijs in Apolloniũ legimus. Icarum quoq; Dædali filiũ in mari ſummerſum, ſepulturæ tradidiſſe proditur. Oechaliam inſuper regionẽ euertiſſe legimus, eiusq́; loci regem Eurytũ mactaſſe, quod ei primum quidẽ Iolen filiã deſponderat, deinde uero ſe daturum negarat. Quidã eius tantũmodo equos, et filiã Iolen, quam ardentiſſime amabat, abduxiſſe ferũt, cuius certe puellæ iuſſione pro claua et leonis pelle, colũ et penſa tuliſſe dicitur. Alij fabuloſius rẽ ſic tradiderũt, quod Hercules in Liberalibus cũ Iole

ueſtem mutauit & habitũ: unde Faunus exiſtimans Herculem puellam eſſe, ueſte deceptus, ab Hercule fuit pede percuſſus in uentre, adeò ut procul illum proiecerit, atq; ut canitur, omnibus ad lunæ lumina riſus erat: quam tamen Iolen *ferunt cum eſſet moriturus,* Hyllo *filio uxorem reliquiſſe.* Iphitum *præterea de altißima turri præcipitauit, quod* Thebas *ſpeculatum ueniſſet, exploraturus an* Euryti *equos uſpiam uideret: cuius cædis immanitate in eã ægritudinem incidit, ut liberari non poſſet, niſi uenderetur ipſe, preciumq́;* Iphiti *filijs pro patris uita redderetur: unde aiũt in Aſiã ipſum migraſſe, paſſumq́; ſe uendi* Iardanæ Omphales *parenti, cui aliquandiu ſeruiuit.* Alij *ſerpentẽ interfeciſſe ferunt apud* Sangarim *fluuium, eam regionem latè uaſtantem.* Cercopas *quoq; latrones, à quibus & in malos uerſipelleſq́; homines prouerbia facta ſunt,* Omphales *iuſſu uinxiſſe proditur.* Sed *hanc* Cercopum *fabulã commodius & latius retro proſequemur.* Itonas Omphales *patriam infeſtantes ſua uirtute compeſcuit.* Ex Omphale *uero, quæ eum libertate ob præclara illius geſta donauit,* Lamum, *quem &* Lamonẽ *uocatum leginus, procreauit, cum antea ſeruus ex ſerua* Cleolaum *progenuiſſet.* Apud *ſcriptores aliquos inuenio* Hyllum *ex* Omphale *filium fuiſſe, eoq́; no*

mine ab Hercule nuncupatum à flumine, cuius oſſa in Phrygia fuiſſe Philoſtratus autor eſt. Sunt inter ſcriptores qui Omphalen & Iolen eandem putent. Palæphatus antiquiſsimus apud Græcos fabularum interpres, de Omphale in hunc fermè modũ tradit. Omphale, inquit, Iardane (Iordanem licet perperàm quidam ſcribant) regis Lydorum filia fuit; quæ Herculis fortia facta ac nomẽ audiẽs, ad eũ amandũ trahebatur, cuius Hercules formã contẽplatus, pari illius amore correptus eſt: unde cum illa miſtus Laomedontem, quem Lamonem alij uocãt, ut diximus, filium genuit, à quo, ut Sempronius ait, campi Lamones appellati, in quibus lapides compluti. Adeò uero puella ipſa Omphale delectatus eſt Hercules, ut pro ſe eam imperare permitteret: quare, inquit Palæphatus, eſt à fatuis confictum, Herculem Omphalæ paruiſſe. Legimus præterea & illud quoq; ei memorabile contigiſſe propter Iphiti cædem, cuius modo meminimus, quod cum Delphos ad oraculũ profectus eſſet, Xenocleam, quæ tum ibi fortè uates erat, propter eiuſmodi cædem oraculum & uaticinii ei dare ſpreuiſſe: quare iratus Hercules, ſublatum tripodem uaticinij ex phano aſportauit: tũc Xenocleam dixiſſe ferunt, alius utiq; Hercules Tirynthius quàm Conopius. Nam & Aegyptiũ, aliũ

quẽpiã Herculẽ, prius quàm Thebanũ fuiſſe uolũt, quod ſuperius attigimus: tum Hercules ijs uerbis motus tripodẽ reſtituit, atq; à Xenoclea oraculum tulit de ijs quæ ſcire uolebat. Hinc opinor illud à poëtis confictum eſt, Herculem & Apollinem de tripode certamẽ habuiſſe. Poſt hæc Hylleum qui ad uineas agrosq́; colendos uiatores compellebat, ligone peremit. Deos quoq; æternitate ſua inuiolabiles, ab Hercule uulneratos proditũ eſt: nã tricipiti telo ab eo Iunonẽ uulneratã legimus, Plutonẽ uero cũ eſſet apud inferos. quæ non ſine myſtica ratione facta quiuis cognoſcere poteſt, qui Herculẽ ſolẽ, ſolisq́; uirtutẽ apud phyſicos ſignificare meminerit, Iunonem uero aëra, Plutonem terrarũ abdita. Pæona tamẽ deorũ medicũ poëtæ aiunt ſanitatẽ reſtituiſſe. Sed quis inter Herculis labores nõ illũ maximũ putet, quo Theſpij Athenienſis uirgines 50. omnes una nocte mulieres fecit, atq; ex ijs 50. filios procreaſſe dicitur, quos Iolao duce, præter duos qui Thebis remanſerant, à quibus Heraclidarũ nomẽ propagatũ eſt, in Sardiniã dimiſit, quæ & à Sardo eius filio ſic eſt nũcupata. Alij 49. tãtũ uitiatas ferunt, unãq; ſeruatã, quæ uirgo mox in tẽplo Herculis apud Theſpias rem ſacrã faceret. Alij maximã natu & minorẽ geminos peperiſſe prodiderunt. Herodorus tamen illas ſeptẽ

diebus

diebus compreßiſſe et uiolaſſe ſcribit: tametſi apud Athenæũ in XIII. perperã Theſtij filias legimus, pro Theſpij, quæ turba Teuthrãtia ab Ouidio nũcupatur ab auo Teuthrãte, ut ex Stephano & Euſtathio didicimus, id quod nec Politiano fuit incognitũ. Herculẽ quoq; Herodotus ait cũ ſemiuipera muliere cõcubuiſſe, ex qua natus ſit Agathyrſus, Gelonus et Scythus, à quibus maxima orbis regio Scythia dicta eſt, et ſimul Agathyrſi et Geloni. Fruſtra uero Herculẽ legimus Petrã Aornon in India aggreſſum fuiſſe, cũ tamẽ illud ab Arriano dicatur, qd' quæ ardua ſunt et difficilia, ne ab ipſo quidẽ Hercule fieri poſſe. Fuere apud græcos ſcriptores qui exiſtimarẽt nõ adeò inuictũ Herculẽ, ut etiã ipſum aliquãdo ualde timuiſſe monumentis tradiderint. Nã cũ poſt Troianã cladẽ in inſulã Coon delatus eſſet, oĩbus rebus ferè amißis, in ea innumerabiles pecudũ greges offendit, à quorũ paſtore ouẽ rogauit. Erat fortè paſtor Antagoras uir fortißimus, qui Herculẽ ad luctã prouocauit: conditionẽ ſumpſit Hercules ea lege, ut ſi uinceret, arietẽ auferet. Inita pugna Antagoræ Meropes auxilio affuere, Herculi uero Græci: uerũ longa defeſſus pugna, Hercules ad Threſſam quampiam mulierem aufugit, apud quã habitu muliebri delituit: ſed ſuperatis tãdem Meropibus, eſt à cæde

expiatus. Hiſtoriã ſcribit Plutarchus. Meminit F. Quintil. de hyperbole loquens: exquiſitã, inquit, figuram huius rei deprehendiſſe apud principem Lyricorum Pindarum uideor in libro quem inſcripſit hymnos. Is nanq; Herculis impetum aduerſus Meropas qui in inſula Coo dicuntur habitaſſe, non igni, nec uentis, nec mari, ſed fulmini dicit ſimilem fuiſſe, ut illa minora, hoc par eſſet. Poſt hæc uerò Hercules Alciopi filiam duxit uxorem indutus anthina ueſte, hoc eſt, ut ego interpretor, purpurea ſeu uiolacea: unde & apud Coos poſt pugnam eo habitu Herculi ſacrificatur. Eodem pariter habitu in nuptijs à uiro ſponſa ſuſcipitur. Eſt apud Athenæum in Dipnoſoph. XII. qui Herculem ut mollem & effœminatũ uituperet, adeò ut ſtragula et ſtromata Herculis, de mollioribus & delicatis lectis intelligi etiã prodatur. Poſt hæc et Philô Alcimedontis herois filiam compreßiſſe dictus eſt, unde natus ſit is qui ab Arcadibus Archemagoras dictus eſt. Expoſita uero fuit Philo, ut Pauſanias ait, unà cum infante, quem fortè uagientem pica audiens, pueri uagitum æmulata, ut earũ auium eſt natura, Herculem inde tranſeuntem morata cantu detinuit, qui auem puerum exiſtimans, matrem religatam & puerum reperit: quibus liberatis, fonti ibi proximo nomen indidit

Bayſi.

indidit Ciſſa,hoc eſt,pica,quod per ipſam,matrem puerumq́; repertos ſeruauiſſet. Illud præterea legimus, Herculẽ ex Iouis Chij ſentẽtia triplicẽ habuiſſe dentiũ ordinem, & propterea multi cibi ac potus fuiſſe,unde illi apud Græcos facta cognomina Polyphagus, Addephagus, & Philopotis, itẽ Buphagus et Buthinas,quod integrũ Thiodamãtis bouẽ comederit. Orpheus quoq; inter reliqua in eius hymno cognomina Pamphagũ uocat, quæ omnia referre ad ſolem et tẽpus poſſunt, à quibus omnia abſumũtur. Nos tamẽ his miſsis nũc ſequamur fabulã. Non aliã ob cauſam Herculi apud Athenæũ auis ab antiquis eſt attributa, quæ tum λάρος tum κέπφος græcè, latinè modo fulica, modo gauia dicta eſt, niſi qđ ſit, ut ille, uoraciſsima. Præterea & ſcyphum Herculi dicatum uolũt, quod bibax fuerit, tametſi hac de re aliæ afferũtur ratiões. Nonnulli ſcyphum ipſum in Italiã ſeruatũ affirmãt, pice obductũ cõtra uetuſtatem. Bouẽ inſuper integrũ uoraſſe dicitur, atq; inde uetus illud uerbũ manauit, Hercules hoſpitatur, cũ cõuiuia, cõmeſſationesq; diutius producũtur, uel cũ tarditatem, cunctationemúe alicuius ſignificamus. Proditũ quoq; Herculem aliquãdo certaſſe cũ Lepreo Pyrgei filio homine uoraciſsimo, ut Pauſanias ait, uel ut alij, Cauconis & Aſtydamiæ, quẽ Mitris in Herculis laudatiõe bibaciſsimũ dixit, eũq; multis

poculis ſuperatũ ab Hercule, quã rem multis uerſibus deſcribit in X. Athenæus. Hãc uero bibẽdi conſuetudinẽ Græcis olim frequẽtiſsimã, Germani Galliq́; omnẽ ferè ad ſe tranſtulerũt. Cæterũ uſqueadeo uiribus Herculẽ ualuiſſe ac robore, inter omnes cõuenit, ut de illo ſit Græcis frequẽtiſsimum illud, εἰκῇ τῷ Ἡρακλεῖ, quod ipſum fruſtra quis calũnietur. Itẽ illud, Hercules et ſimia, & quod huic proximũ eſt, Herculis perſonã uel cothurnos infanti adaptas, quæ de ijs adagia dicũtur quæ parũ cõueniũt. Tanti etiã ſpiritus fuiſſe dicitur, ut ſine ſpiratiõe ulla ſtadium unũ currẽdo cõficeret. Cognominatus eſt præterea à ui lacertorũ, lacertoſus. Prouocatũ tamẽ ferunt, quãuis adeò robuſtus, olim à Pygmæis in cauernis Libyæ degẽtibus: hi cũ Antæi ab Hercule deuicti fratres eſſent, isq́; ex labore feſſus ſomno ſe dediſſet, ipſi ut fratrem ulciſcerẽtur, fundis arcubusq́; Herculẽ aggreſsi ſunt, ille experrectus eos fudit, & eorũ aliquos leonina pelle inuolutos in aëra iactãs uentilabat, qua de re pulchrè ſcriptũ eſt in imaginibus apud Philoſtratũ. Vnde & illud apud Ammianum Marcellinũ uice prouerbij uſurpatum, ut Pygmæi uel Thiodamas agreſtis Herculẽ prouocat, de ijs qui maiora uiribus aggrediuntur, aut imparia. Fuit uero Thiodamas agreſtis homo ex Lindo Rhodi ciuitate, cui arãti Hercules unà cum ſocijs boues

ſurreptos

ſurreptos abſtulit. Philoſtratus unũ tantũ iugulaſſe tradit, eũq́; adeò integrè comediſſe, ut ne quidẽ oſſa ſuperfuerint. Interea Lindius Thiodamas Herculẽ cõuicijs inceſſebat, ſed mox cognito Hercule, Lindij ei arã ſtatuerũt, quã ex re βόζυγον appellauerũt, ſacraq́; Lindia, quæ cõuicijs ac maledictis celebrabãtur, adeò ut in prouerbiũ uſq; res ſit deducta. Fuit alter Thiodamas, ut puto, Hylæ pater, quẽ alij Thiomenũ uocãt, de quo ſuperius meminimus, qui Dryopas in Herculem cõcitauit, quod ei bouẽ ſurripuerat. Sed de hoc plura tum Pherecydes, tum Apollonij commentatores. An uero duo fuerint uel unus, mihi incõpertũ. Solitũ etiã Herculẽ poſt labores accepimus puerorum luſibus animũ remittere, unaq́; cũ ijs colludere, ac ſæpius: quod à uiris doctis illo Euripidis cõprobatur: Ludo, mutatiões enim laborũ ſemper amo. hoc eſt, ſi græcè mauis, παίζω, μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ. quæ uerba aſſiſtente puerulo ab Hercule dicuntur. Ipſum uero Herculẽ diẽ obijſſe, eſt literarũ monumẽtis traditũ, infelici quodã ac tetro mortis genere. Nã ut ſcribit Euſebius & Iſidorus in Chronicis, cũ in morbũ incidiſſet peſtilẽtẽ, ob dolorũ remediũ ſe iecit in flammas, anno ætatis ſuæ LII. Manethon idem ſcribit. Quidam autẽ anno XXX. alij uero ante etiam XXX. Sunt qui ita rem prodãt: cũ ipſe Euryti li

beros Iolis amore percitus necauiſſet, ut antè diximus, idq́; eſſet Deianiræ à Licha delatum, ea furore ac zelotypia, quã dicũt Græci, impatiẽs, ultura amoris iniurias, tunicã Neßi Cẽtauri ueneno infectã (à qua eſt illud deductũ, Ardẽs tunica, de ijs qui ſeditionẽ mouẽt) Herculi marito per Lichã ipſa miſiſſe traditur. Lichã uero Hercules anteq̃ moreretur in mare abieciſſe dicitur, atq; in eius nominis ſcopulũ Lichã obduruiſſe: mox Hercules ſagittis Philoctetæ Pæantis filio, qui tum fortè illi comes aderat, legatis, ſe in Oeta monte, ueneni ui percitus, in ardẽtißimam pyram cõiecit, ubi cum cremaretur nube obſeptus, et ingẽtißimo facto tonitru, eſt in deorũ numerum receptus: unde eſt in frequenti ſermonis uſu apud Græcos, Dæmon Oetæus. Illud quoq; proditũ eſt, Herculi oraculũ aliquãdo apud Dodonam datũ fuiſſe, quod uiri mortui manu eſſet moriturus. Dextra, inq̃t, perẽpti uictor Alcide uiri Olim iacebis, hic tibi emẽſo freta, Terrasq́; et umbras, finis extremus datur. Scribit Artemidorus Daldianus, ſeu potius Epheſius in libro de ſomniorum iudicijs quarto ad filiũ, quod ex hiſtoria aliquãdo ſomnia interpretanda ſunt: ut de muliere quapiã quæ in ſomnis putauit ſe Herculis certamina perfeciſſe, quæ nõ multo pòſt incẽdio perijt, quoniam, inquit, Hercules igne corpus abſumpſit. Quibus cura & ſtudiũ fuit fabu

las

las colligere, tradũt, poſt Herculis mortẽ Iunoni Iouem perſuaſiſſe ut Herculẽ adoptaret, quod ipſa cũ ſe factur ã recepiſſet, effinxiſſe in cœlo ſe illum páre re, feciſſeq; ea omnia quæ parturientes facere ſolẽt, unde & illum mox generũ ſibi deſumpſit, ei uxore Hebe iuuẽtutis dea data, quæ illi poſt huius uitæ labores ſecretiore quadã ſignificatiõe meritò & iure cõuenit. Quidã Herculẽ in aſtra repoſitũ ferũt, Engonaſinq́; uocari. Sunt qui Martis ſtellam Herculis nomine appellẽt. Alij ideo Herculẽ ſemet occidiſſe tradiderũt, quod cum optimus eſſet aſtronomus, ſolisq́; defectiões præuideret, id eũ aiũt uidere noluiſſe. Non mea quidẽ ſentẽtia à recta nimis aberrarit, qui ea id cauſa factũ crediderit, quod atra bile ageretur, nec ſatis ſui cõpos eſſet, quod & Ariſtoteli diligentiſsimo philoſopho placuiſſe uideo: nã et comitiali morbo laborauit, unde & ab eo Herculeus eſt appellatus. Aphri tamen Herculẽ in Aphrica interijſſe putãt, cũ illuc exercitũ egiſſet. Scribit Athenæus, cũ in Libyã proficiſceretur à Typhone occiſum fuiſſe, reuocatũ uerò ad uitã nidore coturnicis naribus eius admotæ ab Iolao, atq; ob id ei Phœnices de coturnice rem ſacrã faciunt. Hinc factum eſt prouerbiũ, quoties ab ijs à quibus minime ſperamus auxiliũ ferimus, Coturnix fortẽ Herculẽ liberauit. Vulturibus delectatũ Herculẽ accepimus, quod in-

ter cæteras aues quæ carne uescūtur, ex animatū nihil uorāt, ſed cadauera potius cōſectātur. Vnde Ro*manos quidā arbitrātur in augurijs ideo uultures cæteris auibus præpoſuiſſe: quod tamē in* Romulū *nōnulli referūt, qui auguſto earū augurio fauſtè* Romā *cōdidiſſet.* Poſt Herculis *uerò mortē* Athenieſes *primi diuinos honores illi attribuerūt. Sunt ex* Græcis *qui ſcribāt, interrogatū oraculū quo honore ac cultu coli deberet* Hercules, *ſic reſpōdiſſe,* νῦν μὲν ὡς ἥρωα, τῇ γὰρ ἐπιούσῃ ὡς θεόν. *Quibus autē in locis cultus, quótue illi aræ & tēpla fuerint erecta, nō puto præſenti negocio cōducere: ubiq; enim ſumma ueneratiōe cultus, communisq́; deus appellatus eſt.* Nolim *tamē id te fugiat qđ in* Muſis *olim adoleſcēs retuli,* Herculē *cū reliqs deis nō habuiſſe ſacra, præterq̄ cū* Muſis, *eiusq́; et* Muſarū Romæ *in circo* Flaminio *ædes fuit à* Fuluio *nobiliore facta, qđ eſt pluribus in* Muſis *ipſis à nobis proditū. Quin & Muſageten deū uocatū à ſcriptoribus, ſeorſum ab* Apolline. M. *quoq;* Philippus, *ut* Ouid. *et* Sueto. *tradunt, eiuſdē et* Muſarū *ædē cōſtruxit: primūq́;* Philoſtratus *ait poëticā circa uaticinia & oracula atq;* Herculē *ipſum uerſatā fuiſſe. Statura uero habituq́; corporis maiorē fuiſſe* Herculē *q̄ hæc noſtra ferat ætas,* Pythagorā *collegiſſe ex ſtadio olympico,* Plutar. *et* Gell. *memorant. Quin illud* Herodotus *apud* Scythas

thas memorabile fuiſſe prodit, ueſtigiū Herculis apud ipſos oſtēdi petræ impreſſum uirili ueſtigio ſimile, bicubitali magnitudine, iuxta fluuium Tiren, quæ utiq; magnitudo admiratione digna eſt. Eundē inſup dentiū triplicē habuiſſe ordinē, Ion poëta ſcripſit. Fuiſſe quoq; Herculē legimus admodum hiſpidū, atq; in primis circa nates; unde & illi cognomē helditū Melampygos, hoc eſt, ut uideo quibuſdā arridere, cluniater, quā rem ex tali fabella collegimus. Paſſalus & Alcmon, ſiue, ut alij ſcribūt, Alcimon, fratres fuere Memnonis filij, omni ſcelere & facinore inquinati, quibus olim mater Memnonis prædixerat ut à Melāpygo cauerēt: illi nil magis ab inſtituto deſtiterūt. Accidit forte cum Hercules ſub arbore feſſus recubaret, ut ij fratres Herculi inſidias tenderent: quod præſentiens Hercules ambos cepit, ligatosq; per pedes à tergo ſuſpēſos claua geſtabat: qui cū demiſsis capitib. Herculis nates uiderent nigras, maternæ monitionis memores, inter ſe tacitè ſummurmurabāt: quos audiens Hercules, re intellecta, eo fertur cognomine uſqueadeo delectatus, ut ſtatim uinculis ſolutos impune abire permiſerit. Locus ubi id cōtigit Melampygos uocatus eſt, iuxta Cercopon hedras, hoc eſt, Cercopū ſedes. quā hiſtoriā cū parum Valla intelligeret, ei cauſam dedit ut illud apud Herodotū male exponeret. Nō enim Melāpy-

gum nigrũ fontẽ, ſed cluniatrũ, id eſt, nates habentẽ nigras, uertẽdũ fuerat. Hos igitur fratres, ſunt inter autores qui Cercopas nũcupatos tradãt, ut ſuperius meminimus, unde ſit uerbũ κερκωπίζειν, qd' doloſe & aſtutè agere, alij blandiri ſignificare exiſtimant à uulpe. Xenagoras in ſaxa, & inſulas mutatos ait. Alij filios Theæ & Oceani dixerunt, nomine Atlãtis & Canduli. Quidam Oli & Eurybati, qui Epheſi Ioui inſidias tetẽderint, atq; propterea in ſimias mutatos, ut Ouidius cecinit. Septuaginta filios Hercules reliquit, uel ut Ariſtot. ſcribit, LXXII. eo loco quo aliquos eſſe parẽtes ait, qui nõ niſi mares filios procreãt, ut, inq̃t, de Hercule proditũ eſt, qui inter duos et LXX. liberos fœminã unã tantũ modo genuit, ex quo et illius in nuptijs omen felix. Sextus quoq; Pomp. cingulo, inq̃t, noua nupta præcingebatur, quod uir in lecto ſoluebat factũ ex lana ouis, ut ſicut illa in glomos ſublata cõiuncta inter ſe ſit, ſic uir ſuus ſecum cinctus uinctusq; eſſet. Hunc Herculano nodo uinctũ, uir ſoluit ominis gratia, ut ſic ille felix ſit in ſuſcipiẽdis liberis, ut fuit Hercules qui LXX. liberos reliquit. Hæc Feſtus. Porrò Herculis filiorũ noĩa ſingula recenſere difficillimũ: inter eos tamẽ hi reponũtur, ut ex uaria lectiõe collegimus: Hyllus, à quo eſt Euryſtheus interemptus. Sardus uel Sardõ, Cyrnus, Gelonus, Olynthus, Scythus,

thus, Galathus, Lydus, Pœmen, à quibus locorũ no mina deducta ſunt. Celtus quoq; et Iberus uel Iberes his addũtur ab Euſtathio, Cleolaus, Diodorus, Tlepolemus, à quo Tlepolemia ludi apud Pindarum & alios. Hũc Tleptolemum Pauſanias uidetur uocare. Telephus, Lamyrius, Antilochus, Gleneas, Diopites, Cteſippus, Lamõ, Oxeas, Gentiades, Therimachus, Deicoon, Chromis, Agiles, Ithomeus, Polydorus, Anicetus, Rhopalus, Patrocles, Meciſtophonos, Manebrõtes, Cherſibios, Ariſtodemus, Azon, Philactes, Phæſtus, Tyrſenus, quẽ Pauſanias primũ tubam inueniſſe ſcribit, quã Tyrrhenis Latini aſcri bunt. Theagenes quoq; Herculis filius, qui mille & CCCC. coronas adeptus fuit, cuius ſimulachrum, quod fortè hominẽ oppreßiſſet, in pelagus deiectũ, mox Phœbo iubẽte expiſcatum, & expoſitũ eſt eodem quo fuerat loco, diuinos ipſe honores adeptus, non in Græcia modo, ſed et apud barbaros, ut pluribus Pauſanias exequitur. Fuerunt & Herculis filij Antonus & Auentinus & Dodoris. Fuit & Macaria ex Deianira Herculis filia, quæ & fonti in Marathone nomen dedit, ſeq; pro Athenarũ ſalute deuouit. Ex filijs Herculis alij parũ celebrati. Ab Her cule ſunt quoq; herbæ nonnullæ repertæ, earumq; uirtutes ab eo mortalibus proditæ, unde & ab eius nomine quædam uocitatæ. Nymphæam ſcribit Pli

nius herbam eſſe natam à Nympha zelotypia erga Herculem mortua: quare, inquit, & Heracleon uocant aliqui, alij rhopalon, à radice ipſius clauæ ſimili. Ciuitates item multas condidit, in quibus illa quæ Hecatompyle uocata fuit. Nonnullæ inſuper ab ipſius nomine nuncupatæ, ut ea quæ in Ponti regione celebrata eſt apud Euxinum. Quin & Euxinum ipſum pelagus, cum Axenon antea eſſet, hoc eſt, inhoſpitale, propter latronum & prædonum frequentiam, ab ipſo, ijs interfectis, Euxinum, id eſt, hoſpitale redditum eſt, ut ſcribit Theophilus alijq́; : ubi & Cylicranorum populi, qui ab Herculis uaſe nominati ſunt. Altera Heraclea fuit ad radices montis Oetæ, alia in Aegypto, in qua Ichneumon colitur, unde & præfectura Heracleotica, & Nili etiam oſtium. Alia ciuitas fuit in Italia, alia in Sicilia quæ Minoa dicta eſt, item apud Gades altera, in Gallijs alijs'que locis nonnullæ, adeò ut Græcis quibus ocium non defuerit, uiginti quatuor & eo amplius eius nominis colligere minime operoſum fuerit. Sed quod de Gadibus meminimus, hiſtoriam in memoriam reuocauit Theronis regis Hiſpaniæ citerioris, qui cum ad expugnandum Gaditani Herculis templum, Gades claſſe ageretur, contra eum Gaditani ex aduerſo prodierunt, longiúſque prouecti nauibus prælium committitur.

Verum

Verum adhuc æquo Marte conſiſtente pugna, in fugam ſubitò Theronis naues uerſæ ſunt, ac ſimul improuiſo igne correptæ conflagrauerunt: pauciſſimi qui ſuperfuerant hoſtium capti, indicauerunt apparuiſſe ſibi leones in Gaditanæ claſſis proris ſuperſtantes, ſubitoq́; ſuas naues immiſſis radijs, quales in ſolis capite pinguntur, exuſtas. Miraculum hoc quidem proditum quoq; eſt, apud Gades Herculis fontem fuiſſe, cuius aqua contra maris refluxum creſcere atq; decreſcere dicitur: cuius rei cauſam naturamq́; referre cum laboret Polybius, ab Artemidoro inceſſitur ex Sileni hiſtorici ſententia. Duos autem puteos eos potius eſſe ratus eſt Poſſidonius philoſophus. Fuerunt & alij fontes reperti ab Hercule, ut ille apud Trœzenios. Duo præterea in Italia portus eius nomine uocitati ſunt, alter quidem in ora Liguſtica Monœci, ſic quidẽ nuncupati, quod ibi fugatis omnibus ſolus habitauerit, uel quod ipſius Herculis templis ſolus coleretur. Alter portus fuit in Brutijs. Riuus etiam Herculanus prope Romam à ſcriptoribus celebratur. Fuerunt et inſulæ ab Herculis nomine nonnullæ denominatæ, una quidem in Carpathio pelago, altera in Atlantico. Sunt etiamnum lapides aliqui ab Hercule, ut Lydius ille, qui & Heraclius dictus eſt, ad exploranda & tentanda metalla, quique ferè

in prouerbiū exit. Quidā et Magnetē eo noīe nūcu pant. Eſt item Herculeus, uel Herculanus nodus, de quo apud ſcriptores frequēs mētio. Tranſiuit enim in uulgatiſsimū prouerbiū, de arctiſsimis atq; admodum indiſſolubilibus amicitijs, qualis quidē mihi tecum futura (auguror) ANGELE ſuauiſſime. In caduceo hūc nodū Herculis, et in curru Gordij fuiſſe legimus. Hoc nodo & in nuptijs uſi ſunt antiqui, ut antè tradidimus. Eſt et à peritis medicinæ ſcriptoribus mentio facta de huiuſmodi nodo in obligandis uulneribus: ſed quo nexu fuerit non exploratū ſatis eſt apud eos. De hoc ſic certe Plin. lib. 28. Ac uulnera, inquit, nodo Herculis præligare, mirū quantum ocyor medicina eſt: atq; etiā quotidiani cinctus tali nodo uim quādā utilē habere dicūtur. Tantæ uero apud ueteres æſtimatiōis nomē Herculis fuit, ut ſummi quidam Imperatores nō modo eo nomine uocari uoluerūt, ſed & ipſius etiāmū inſignia geſtauere, inter quos Alexander Macedo, Cōmodus, Maximianus, Heraclius, alijq; nōnulli. Narratur & hiſtoria Themiſonis Cyprij, qui in delicijs ab Antiocho rege habitus eſt, & Hercules dici & haberi uolebat, remq; ſibi ſacram fieri patiebatur leonis pelle indutus, arcū Scythicū gerēs & clauā. Nullius certe dei uel mortalis unquam imago toties efficta fuit, tot etiā modis. Nā ut cætera mittā, Romani rerū domini in

ni in triũphis Herculis ſigna habebãt, unde et triũphalis ille Hercules in foro boario poſitus (ut creditur) ab Euãdro, qui per triũphos triũphali habitu induebatur. In ea quoq; quæ immodica cũ difficultate fiunt, Herculis laborẽ uel ærũnã dicere ſolemus, uel ab ipſo uix Hercule fieri potuiſſe, ut inquit Arrianus de petra Aorno, quã ab Hercule fruſtra tentatã ait. Fuit enim et Hercules in India ut Bacchus, ut idẽ tradit Arrianus, qui & ipſum Herculẽ margaritum inueniſſe prodidit, quod Pandanæ filiæ Indorũ reginæ dono dedit. Hercules etiã iampridẽ in uirtutis nomen, & in iuramẽtũ inductũ eſt, idq́; multis modis, tantaq́; ueneratiõe, ut eo mulieres, ut diximus, abſtinuerint. Quin pueri cũ Herculẽ iurabãt, id ſub tecto facere prohibebãtur, id quod ſub dio feciſſe non fuit religio. Scribit Philoſtratus, cũ nõdũ per Herculem homines iurare cõſueuiſſent, primũ id inſtituiſſe Neſtorẽ, ijsq́; qui ad Troiã oppugnãdã uenerãt tradidiſſe. Aelius et Varro Diumfidiũ aiũt Dijouis filiũ, ut Græci διόσκορον Caſtorẽ, et hũc eſſe qui eſt Sanctus uel Sancus à Sabina lingua, à Græca Hercules. Hinc eſt et Mediusfidius. In gymnaſijs quoq; Herculem unà cũ Mercurio atq; Cupidine antiqui ſtatuêre, ea uidelicet cauſa, quod amor cum ratione & robore in ijs eſſe conuenit. Obſeruat apud Demoſthenem Vlpianus, quod et Herculis nomẽ apud

antiquos inuocabatur in ijs rebus quæ ualdè ac maxime pernicioſæ et malæ uidebãtur, ut dei amouentis, et malorũ depulſoris. Theologi quoq; gentiũ, ut antè diximus, Herculẽ tum ſolẽ tum tẽpus exiſtimauerũt, alij uirtutẽ ac fortitudinẽ, & propterea apud Aegyptios eius multiplici actu, multiplicẽ dei ſignificari affirmãt poteſtatẽ. Ex noſtris uero quidã & Martẽ ſignificãt, unde & illi à Vergilio Salij in ſacris adhibẽtur. Fuit et ſaltatiõis genus Herculi dicatũ Tetracomus, bellicoſum & martiale. Sed et Briareus Herculis nõie dictus eſt: quare et inter Græcos quidã colũnas Herculis Briarei (ut diximus) uocauere. Quoniã uero diutius ac multũ Hercules peregrinatus eſt, ideo ei qui peregrinabãtur rem ſacrã facere ſoliti erãt. Illud quoq; addamus, Herculem cognominatũ eſſe, præter ea quæ ſparſim retulimus cognomina, Hippodetam, cui et tẽplũ ſtruxere Bœotij, ea uidelicet ratiõe, qđ cũ Orchomenij aliquãdo uſq; ad eũ locũ ueniſſent, Hercules noctu equos qui ad eorũ currus erãt uincti, colligauit, unde illi Hippodetæ inditũ eſt cognomẽtũ. Legimus et ipſum Buraicũ uocitatũ, ab urbe Bura Achaiæ, apud quã in ſpecu uaticinia in tabellis et talis reddebat, ſic, primũ uidelicet preces pro ſimulachro fundebãtur, deinde tali quatuor in mẽſa iaciebantur (ibi enim permulti erãt) in quibus ſingulis figuræ ſubſcriptæ erãt. Figurarũ ue-

rò inter-

rò interpretatio in ipſa tabella inueniebatur, atq; ita uaticiniũ habebatur. Thebani quoq; inter cætera illius cognomina Rhinocoluſtẽ fecerũt: nã cũ ab Orchomenijs, de quibus paulò ante meminimus, præcones Thebas ueniſſent ad exactionẽ quãpiã, ijs Hercules nares abſcidit. Huius certe rei nõ procul à Dirce indiciũ lõgo tẽpore fuit. Ea quoq; cognitione digna, quæ à Plutarcho de Phabola, ſeu potius Flauia Larẽtia proditur hiſtoria. Aedituus quidã, inqt, Herculis otio ſuperfluẽs, teſſeris & id genus luſionis diẽ terere ſolebat. Sed cũ forte aliquãdo colluſores deeſſent, deũ Herculẽ ut colluderet ea lege prouocauit, ut ſi deus uinceretur, boni aliquid elargiretur: ſi uero æditưus, deo cœnã ſe præbiturũ, puellamq; inſuper formoſam cũ qua deus miſceretur. Tali propoſita cõditione, teſſeras æditưus pro ſe et deo iecit: iactu à deo uictus eſt zacoros, id eſt, æditưus, qui ideo cœnã apparauit, & Larẽtiã famoſum ſcortũ cõduxit: in tẽplo diſcubuêre, poſt cœnã puella clauſis foribus in tẽplo eſt relicta. Ferũt autẽ noctu cũ Larẽtia nõ humanitus cõgreſſum, puellæq; iuſsiſſe, ut manè in forũ prodiret, et cuicũq; primo occurriſſet, illũ ſibi amicũ pararet: id cũ feciſſet puella, Tarruntio homini prædiuiti & iam natu grãdi et cœlibi obuia facta eſt, cui matrimonio iũcta, ei uiuẽs poteſtatẽ fecit Tarrũtius omnis ſuæ rei familiaris, moriẽsq; hæ

redē teſtamēto inſtituit. Hāc uero propterea multo honore Romani coluere, aliam ab Acca Laurentia Romuli nutrice, quod deo Herculi miſta fuiſſet. Sed ut iam tandē ſermonē hūc de Hercule cōcludamus, multi apud antiquos de Hercule ſcripſere, ut minus mirum ſit, ſi nos quoq; id tuo monitu ANGELE fecerimus. Inter Græcos Panyaſis Halicarnaſeus poëta, qui Heracleia præclarū opus carmine cōpoſuit. Item Piſander Camiræus. Legimus item Heſiodi ſcutū Herculis, quod an Heſiodi tamen ſit, multi in dubiū uertūt. Caucalus etiā Rhetor Chius Theopompi hiſtorici frater, Herculis encomiū ſcripſit. C. quoq; Cæſar uerſu laudes Herculis cōplexus eſt, quas publicari uetuit Auguſtus. Verū de his in dialogis de poëtis copioſe ſcripſimus, deq; alijs nōnullis. Quid enim dicam hoc loco Herculē nunquam uituperatum fuiſſe? unde illud eſt notiſsimū, cum à quodam laudaretur, quis, inquit alius, uituperat?

Hactenus tecum ANGELE de Hercule potius indice dicenda monſtraui, quàm aliquid lectione dignum me ſcripſiſſe uideo: quicquid tamen hoc eſt, quando tu tale eſſe uoluiſti, tibi habeto. Vale. Romæ ex Vaticanis Pontificis Max. ædibus, menſe Octobri, M. D. XIIII.

LILIVS faciebat.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIEN. DE MVSIS SYNTAGMA,

nunc reconcinnatum & auctum.

IDEM AD COELESTES MVSAS.

Muſæ quæ uario mulcetis ſidera cantu,
Et Iouis ad ſolium dulce mouetis ebur,
Aſpicite has famulas, ueſtro quæ numine fretæ
Euolitant, placidum carpere detis iter.
Non hæ Pieridum temeraria fata ſecutæ,
Vos cantu ſperant æquiparare ſuo,
Degener, ah, tantum ne uobis turba putetur.
Hoc ſat erit, placidum carpere detis iter.

LILIVS GREG. GYRALDVS LVCAE RIPAE PRAECEPTORI S. D.

DE MVSIS puer olim ſyntagma ſcripſeram doctiſs. LVCA RIPA, uerum cum aliquandiu inter ſchedas meas, ne potius dicã nugas, delituiſſet, forte fortuna cum eas nuper reuoluerem in manus incidit: iterũ cognoui, placuit, ſed ut indulgentioribus parentibus tenelli filij. Quare ueritus ne me amor fefellerit, mitto ipſum ad te ueluti literarũ ſolem, exemplo ab aquila deſumpto, ut de eo periculũ faciam. Scio multos de Muſis ante me ſcripſiſſe, ſed hoc modo neminẽ. nam Cornutus, quem Pharnutum quidã appellant, & Fulgentius alijq́;, ſolo capite eas notaſſe contenti fuerunt: nos quæq; minoris etiam impendij ſcrutati fuimus, cũ præcipue pueris pueri ſcriberemus. Vale, Mediolani, nonis Maij,

M. D. VII.

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIEN. DE MVSIS LIBELLVS.

DIODORVS Siculus apud Græcos multi nominis hiſtoricus & poëta, qui (ut ipſe idem ait, & ab eo Iuſtinus philoſophus & martyr, itemq́; Euſebius) triginta annis maximam orbis terrarũ partem peragrauit, ut hiſtoriarũ, quas ſcribere meditabatur, certiorem fidem poſteris relinqueret, ſcriptum reliquit, Oſiridem Aegyptiorũ deum muſicis & choreis delectatum fuiſſe, proptereáq; illũ pleroſq; muſicos conſectari ſolitos, inter quos nouem fuiſſe puellas prodidit, quæ modulandi artem cæteraſq́; diſciplinas probè tenerent, quas ideo Græci Muſas appellauerunt. Sedenim alij Muſarũ duas fuiſſe generationes prodiderunt, ſecuti (ut aiunt) Muſæum, antiquarũ ſcilicet, quæ ſub Saturno fuerunt, & iuniorum, quas nos hoc ipſo libello deſcribere aggreßi ſumus: de quibus nonnullorum opiniones, antequã procedamus, recenſendæ ſunt, quæ de Muſis ipſis, earumq́; parentibus ac numero uario modo traduntur: primamq́; Varronis afferemus, qui tres tantũ Muſas fuiſſe exiſtimauit, ut teſtatur Seruius: unam quæ ex aquæ na-

ſcitur motu. Alterã, quã aëris icti efficit ſonus. Ter-
tiam, quæ mera tantum uoce conſiſtit. Aliam tamen
Varronis D. Auguſtinus hiſtoriã ſuo quodam libel
lo explicat: Non audiendi ſunt, inquit, errores gen
tilium ſuperſtitionum, qui nouem Muſas Iouis &
Memoriæ filias eſſe finxerũt. refellit eos Varro, quo
neſcio utrum apud eos quiſquam talium rerum do-
ctior uel curioſior eſſe poßit. Dicit enim ciuitatem
neſcio quam (neq; enim recordor nomen) locaſſe a-
pud tres artifices terna ſimulachra Muſarũ, quæ in
templo Apollinis dono poneret, ut quiſquis artificũ
pulchriora formaſſet, ab illo potißimũ electa eme-
ret. Itaq; contigiſſe ut opera ſua quoq; illi artifices
æque pulchra explicarent, & placuiſſe ciuitati om
nes nouem, atq; omnes emptas eſſe ut in Apollinis
templo dicarentur, quibus poſtea dicit Heſiodũ poë
tam impoſuiſſe uocabula. Non ergo, ait, Iupiter no
uem Muſas genuit, ſed tres fabri ternas fecerunt.
Tres autẽ non propterea illa ciuitas locauerat, quia
in ſomnis eas uiderat, aut tot ſe cuiuſquã illorũ ocu-
lis demonſtrauerant: ſed quia facile erat animaduer
tere, omnẽ ſonum, qui materies cantilenarũ eſt, tri-
formẽ eſſe natura: aut enim editur uoce, ſicut eſt eo-
rum qui faucibus ſine inſtrumẽto canunt: aut flatu,
ſicut tubarum & tibiarũ: aut pulſu, ſicut in citharis

& tym-

panis & quibuſdam alijs quæ percutiendo ſonora ſunt. Atq; hactenus Aurelius Auguſtinus. Sed nomẽ quod ſe non recordari ait Auguſtinus, Sicyon eſt, ut ego ex ſcriptoribus collegi, id quod appoſui, ut Auſonij Galli uerſus rectius emendetur quàm adhuc factum eſt: ſic enim in ternario legendum ubi hac de re eſt mentio:

Tris ſolas quondã tenuit quas dextera Phœbi,
Sed Sicyon totidem ternas ex ære ſacrauit.

Quo in loco ab alijs uaria traduntur, nos, puto, germanam & ueram lectionem attulimus. Pauſanias quoq; & ipſe tres artifices, Cephiſodotum, Strongylιona, et Olympioſthenẽ nominat, quorũ ſinguli ternas Muſas effecerunt, & has primas fuiſſe. Alias uero idem Pauſanias Muſas tres connumerat, quas ait ab Aloëi filijs Oto & Ephialte ſic nominatas, primam ſcilicet μελέτην, hoc eſt, meditationẽ: ſecundam μνήμην, hoc eſt, memoriã: tertiam ἀοιδὴν, hoc eſt, cantilenam. quod non ratione carere uidebit is qui rem altius ſcrutari uoluerit. Iidẽ quoq; Aloëi filij Otus & Ephialtes, Muſis primi rem ſacram in Helicone feciſſe dicuntur, & in Aſcra habitaſſe, ut uerſus poëtæ Hegeſini ex eius poëmate Atthide oſtendũt, qui apud Callippum legũtur et Pauſaniã. Sed & Cenſorinus in libro de die natali, Mu-

ſas ait olim tres ideo exiſtimatas, quoniam organum quondã habuit tres intentiones, grauẽ, mediam, acutam. Ad hæc Cornutus, quẽ Pharnutũ uocant quidam, in libro de deorum natura, tres ideo exiſtimatas ait, ob eius numeri perfectionẽ, ut qui etiam deo ipſi attribuatur. Scribit M. Tullius in tertio de natura deorum, & ſimul idẽ Pharnutus, principio Muſas quatuor fuiſſe natas Ioue altero, item alteras ex Ioue tertio ac Mnemoſyne. Tertias quoq; ex eodẽ Ioue et Antiopa, quæ Pierides Pieriasq́; à poëtis appellantur. Alij duas putarunt, ut Pharnutus ſcribit, à conſiderando ſcilicet et efficiendo. Alij ſeptẽ: hoc ideo fortaſſe, quoniã totidẽ uoces antiqua muſicorũ inſtrumenta continebant, uel, quod totidem ſunt artes liberales. Sedenim quoq; paucis referendum eſt quæ de Muſarũ numero à Plutarcho in libro Sympoſiacõn obſeruãtur. Conflatur, inquit, Muſarũ numerus, primũ ex eo qui unus & octo dicitur, deinde ex triangularibus, ſex uidelicet et tribus, inde ex triplicato ternione. Quãobrem, inquit, non eſt ita inſtitutum, ut nouẽ ſint Mineruæ uel Dianæ, ut nouem ſunt Muſæ. Quin & ipſarũ mater Mnemoſyne totidem eſſe literarũ reperitur. Tres uero antiquitus exiſtimatas, non ſecundũ ea tria modulãdi genera, de quibus paulò ſuprà retulimus, uerũ quod potius

diſciplia

*diſciplinas in tribus generibus ueteres diſpoſuere, philoſophi,rhetoris,& mathematici.*Hinc *& tres earũ Gratiæ,quæ Muſæ dicũtur.*Hinc *quoq;,iuxta* Heſiodi *opinionẽ,harũ quælibet in tres diuiſa.*Philoſophia *quidẽ in eam quæ ad rationẽ, ad mores,et ad naturã pertinet.*Rhetorice *uero in demonſtrationem,deliberationẽ,& iudicialẽ.*Mathematica *autẽ in* Muſicã, *arithmeticam, & geometriã diuiſa eſt.* *Alij in ea quæ* ἄπλανα *dicũtur diſtribuũt,hoc eſt, nõ errãtia,et in ea quæ* πλανώμενα*,hoc eſt,errantia,& in ea quæ ſub luna corruptioni ſubiecta ſunt.* *Alia itẽ afferũtur multa,ut de* Parcis, *& de ijs quæ in* Sicyone *fuerunt, quæ breuitatis cauſa prætereo.* Nouẽ *inſuper* Muſas *numero q̃dã prodidere,quod is numerus maxime ſit perfectus:unde* Græci *pariter &* Latini *interdũ pro maximo numero & conſummato nouem dixere,ut in* Homero *obſeruat* Euſtathius, *& in* Nicandro *grammatici.* Idem *&* Theon *in* Arato. Et *propterea exiſtimauit* Heſiodus *nouem numerum eſſe* Muſarum,*quod bonus ſit ad omnia,& æqualiter æquus.* Sed *& ad hunc numerum reſpexiſſe uideri poteſt* Horatius, *cum quæ perfici uolumus opera,nonum in annum premi præcipit.quem poſt ſecutus eſt* F. Quintilianus: *tametſi decimũ in eo loco perperàm quidam reponunt.*

Antiqui præterea gentiū theologi, ut autor eſt Macrobius, nouē ideo Muſas eſſe uoluerunt, quod octo ſint ſphærarum cœleſtiū muſici cantus, & una maxima ſit ſphæra quæ conſtat ex omnibus. Vnde Aſcræus Heſiodus octauā Vraniam uocat, quia poſt ſeptem uagas octaua ſtelliſera eſt ſphæra, quæ proprio nomine οὐρανὸς, hoc eſt, cœlum uocatur. Nonam uero maximam dixit, qua conſtat ſonorū concors uniuerſitas. Sed & Arati interpres ſcribit, Orpheum lyram ideo nouichordem conſtituiſſe, quoniam idem eſſet Muſarū numerus. Nec defuere etiā qui Muſarum choreas & cantus cū Apolline, mundi totius cōcentum & ſphærarum, cœleſtiumq; circulorum uertiginem ſignificare dicerent: unde & Apollo ſua mundū cithara temperare ab Orpheo in hymnis dicitur. At Cenſorinus pleroſq; ait exiſtimaſſe ſeptenarium & nouenariū numeros in hominum uita multū ualere, quod ſeptenarius ad corpus, nouenarius ad animū pertineat, illeq; medicinæ corporis et Apollini attributus, hic Muſis: quia morbos animi quos appellant πάθη, muſica lenire ac ſanare conſueuit. Qui uero theologiam Orphicam profeſſi ſunt, illud apud Orpheum obſeruant, ipſum in animis & globis cœleſtibus uim duplicem ſtatuiſſe, alteram quidem in cognoſcendo, alteram in globo ipſo

bo ipſo uiuificādo atq; regendo. Nam in lunæ ſphæra uim illam Bacchū Licnitan, hanc Thaliam nuncupaſſe uolunt. In Mercurij uero ſphæra, illā Bacchum Silenum, hanc Euterpen. In Veneris ſphæra hanc Lyſium Bacchum, illam Erato. In Solis ſphæra hanc trietericum Bacchum, illam Melpomenem. In Martis hanc Baſſareum, illam Clio. In Iouis hāc Sebaziū, illā Terpſichorē. In Saturni hāc Amphieton, illā Polymniā. In octaua ſphæra hanc Pericionium, illam Vranien. In anima autem mundi priorem uim Bacchum Eribromū, alteram Calliopen. Quibus ſic ſtatutis, illud ſubinſtrunt, quod ideo ſingulis Muſis ſingula Bacchi cognomina conſtrūtur, ut Muſarū uires diuinæ cognitiōis nectare ebrias intelligamus, nouēq; Muſas, nouemq; Bacchos circa unū Apollinem, hoc eſt, circa unius ſplendorē ſolis inuiſibilis diſcurrentes. atq; hæc quidē illi. Alij uero ita interpretantur. Iupiter, aiunt, rerum omniū parens, è Mnemoſyne, hoc eſt, è memoria & cognitione ſui Muſas genuiſſe dicitur, quæ mentis cōceptus ſignificant, æternarū rerum contēplatores, quæ quidem res intellectu tantū percipi poſſunt. Nam Muſæ dictæ ſunt, ut Plato exiſtimat, quaſi indagatrices, utpote quæ per naturæ ueſtigia ſenſilis atq; mathematicæ, ſuperna et cœleſtia indagant. In Helico

nis uero montis ſeceſſu, ut nomẽ ipſum indicat, anfractuoſi, choros ſuos agẽtes, per quos rerũ ſeriẽ intelligimus, quæ infinitã complectitur ſapiẽtiã. Eius porrò montis duo uertices ſignificare poſſunt tropologiã et anagogen, uel, ut alij, phyſicen & theologiam. Nec defuerunt qui nouem Muſas, nouẽ beatorum animorum choros, hoc eſt, angelos deſignari crederent. Verum hæc egoipſe non libenter commemoro, quare iam ſatis. Legimus præterea Lydos proprias quaſdã apud ſe Nymphas Muſas nũcupaſſe, ut eſt apud Theocriti expoſitores. Carius enim Iouis & Torrebiæ filius, ut in quarto hiſtoriarũ Nicolaus prodidit, cum fortè errabundus uagaretur, ad paludem quandã peruenit cui nondũ nomen erat impoſitũ, ipſe à matre Torrebiam appellauit, ibiq; Nympharũ, quas indigenæ ipſi Muſas uocitant, auditos cãtus edidicit, atq; exinde modulationis lydiæ autor extitit, ut Stephanus etiã teſtatur. Nos autẽ uulgatã magis hoc libello ſequimur opinionẽ, quæ nouẽ Muſas fuiſſe cõfirmat, quas aliqui Oſiridis, alij Bacchi, plurimi Apollinis comites fuiſſe tradiderũt. Vel propter cœli harmoniam, cuius ſolẽ principem ac rectorem eſſe philoſophi uoluerũt, qua de re & in dialogis de poëtis copioſius ſcribere meditamur: unde & à Græcis Apollo Muſagetes dicitur, quaſi

Muſarum

Muſarum dux, de quo ante alios Lutatius in primo communis hiſtoriæ, ut Probus ſcribit. Quin etiã ab eodem Apolline doctas quidã tradidere, qua ex re & Muſicus eſt nuncupatus. Sunt tamen qui putant Muſas à Parcis edoctas fuiſſe. Diodorus Siculus Muſis ab Ioue patre literarum inuentionem attributam aſſerit. Fuerunt igitur nouem Muſæ, Iouis & Mnemoſynes filiæ, ut in Theogonia canit Heſiodus, cuius hi ſunt uerſus:

Μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο,
Τὰς ἐν πιερίῃ κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
Μνημοσύνη. *Et idem:*
Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου διός.

Quem Proclus Lycius eſt imitatus in hymno ad ipſas Muſas, ſic canens:

Ὑμνέομεν μερόπων ἀναγώγιον, ὑμνέομεν
φῶς
Ἐννέα θυγατέρας μεγάλου διὸς ἀγλαοφώνους.

Item Homerus eas in hymno ita ſalutat: Χαίρετε τέκνα διός. *Idem ait Orpheus in principio hymni, quem Muſis cum libani, id eſt, thuris ſuffimento dicauit:*

Μνημοσύνης καὶ ζηνὸς ἐριγδούποιο θύγατρες
Μοῦσαι πιερίδες. *& reliqua.*

Nouem uero eas, nouẽ noctiũ concubitibus genitas, Heſiodus aliiq́; Græci poëtæ finxerũt. Sed enim ea de cauſa Iouis & Mnemoſynes, hoc eſt, memoriæ filias appellatas inuenio, quod iis qui ad diſciplinas et ſciẽtias peruenire cupiũt, duo hæc in primis neceſſaria ſunt, intellectus ſcilicet & memoriæ poteſtas: hoc Græci μνημονικὸν, illud νοητικὸν uocant. & hoc quidẽ Proclus in cõmẽtariis. Aliqui tamẽ Cœli & Terræ filias dixerũt, ut Alcmæon, Pharnutus et Euſebius, quibus in quopiã hymno aſtipulatur Pindarus, ſic Muſam alloquẽs, Ἄρχε δ' οὐρανῷ θύγατερ. ubi commentatores ex Ariſtarchi ſententia & Mimnercæ, aſſerunt Muſas Cœli filias. Idem et Pauſanias, qui non Mimnercam, ſed Mimnermum hoc ait in elegiis prodidiſſe, in proœmio ad Gygen Lydum: Antiquiores, inquit, Muſæ Cœli filiæ, Iouis uero iuniores fuere. Muſarũ uero nomina Orpheus in hymnis, et Heſiodus in Theogonia duobus his uerſibus ita complexi ſunt:

Κλειώ τ' εὐτέρπη τε μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ' ἐρατώ τε πολύμνιά τ' οὐρανίη τε
Καλλιόπη. & reliqua.

Cum Apolline igitur decem ſunt Muſæ, quoniam (ut inquit Fulgẽtius) humanæ uocis decem ſunt modulamina, unde etiam cum decachorda Apollo pingitur

gitur cithara. Sed & legis diuinæ ſcriptura decachordum dicit pſalteriū, quod noſtri Chriſtiani Laudatorium, ſi modo id recte, appellarunt, Hebræi uero Nablon, ut D. Hieronymus docet. A Græcis quoq; tum Nabla tum Naula, tum etiam Nablia dicuntur: qua de re cū ab alijs, tum præcipue ab Athenæo in Dipnoſophiſtis copioſe diſſeritur. Figurātur itaq; ut idem ſcribit Placiades Fulgentius, nouē Muſæ cum Apolline, per quatuor dentes è cōtrario poſitos, quos lingua percutit, per duo labra uelut cymbala uerborum, per linguam ut plectrum, per palatum, cuius concauitas profert ſonum, per gutturis fiſtulam quæ excurſu tereti meatū ſpiritalem præbet, per pulmonem, qui uelut æternus follis conceptum ſpiritum reddit & reuocat. Nunc uero illud diſquirendum, unde Muſæ nomē ſortitæ. Plato quidem in Cratylo Muſas ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, quod eſt inquirere, dictas affirmat, cui Pharnutus in libro de natura deorum ſubſcribit: ita enim ait, καλοῦνται δὲ μοῦσαι ἀπὸ τοῦ μώσεως, ὅ ἐστι ζητήσεως. Muſæ, inquit, dicūtur ab inquiſitione. Idem ſentit Suidas, qui propterea ait eas ab inquirendo dictas, quoniā ipſæ ſint omnis diſciplinæ cauſa. Idem et Palæphatus. Vnde & aliquādo Moſas eas antiqui uocauere. Euſebius tamē in Euangelica præparatiōe Muſas tradit ideo

ſic appellatas, quia μυέω apud Græcos honeſta bonaq́; doctrina inſtituo ſignificat: quamobrem, ut puto, eas Orpheus & Proclus hominibus religionem monſtraſſe in hymnis ſuis cecinerũt. Quidã Muſas per concíſionẽ, quaſi meluſas, à μέλω declinari uoluerũt. Alij uero propter diſciplinarũ inter ſe cõuenientiã quaſi ὁμοῦσας, uel quod inuicẽ, ſicut uirtutes, neceſſariæ ſibi eſſe uideãtur, ut ait Caſsiodorus. Vnde fit ut ab antiquis nõnullis doctrinæ ac ſciẽtiæ copula ac nodus quidã exiſtimẽtur. Sed cur Muſas potius antiqui puellas quàm cõiugatas confinxere? hoc ſic Cornutus exponit, ut ex re nomina ita ſint ſortitæ fœminea, quod ad earũ uidelicet ſymbolum multa ſciẽtia cõgignatur. Poteſt & dici propter fructũ qui gignitur ex animæ iudicio. Virgines quoq; dicũtur, quoniã uirtutis diſciplinæ, uti uirgines abditæ atq; incomptæ eſſe uidentur, natiuo ſcilicet decore contentæ: id quod & de cæteris diſciplinis non incommode dici putamus, atq; ideo interiores & reconditas literas opinor appellat Cicero. Eadẽ & ratione Cupido quodam Luciani dialogo, Muſas ait ſe uereri quod uirgines ſint, & ſemper aliquid cogitent, ſeq́; in ſuis cantibus contineant. Muſas inſuper antiqui ſimul uerſari, & in chorum numerumq́; ludos agere dixerunt, propter ſcientiarum copulã & nexum.

nexum,ut modo dicebã,quo inter ſe diſciplinæ quodam quaſi nodo copulantur et coniunguntur. Hinc opinor cyclicas ſcientias appellat Capella Martianus,& encyclium conſtituit Victruuius,& notiſſima eſt illa à Græcis uocata encyclopædia, de qua Plutarchus, & longe pluribus Proclus, ex noſtris meminit Plinius & Fabius. Eadem cauſa ſorores exiſtimatas facile crediderim. Ad hæc in montibus dicuntur uerſari,ut ait Cornutus,quod ſeceſſu & ſolitarijs maxime locis ſtudioſi uiri delectãtur. Quin & Plutarchus lucos & Muſarum delubra quàm longiſſime ab urbibus ſtatuta fuiſſe ſcribit,in eo qui eſt περὶ πολυπραγμοσύνης inſcriptus. Sunt et qui ideo in Heliconis & montium uerticibus uerſari autument,quod ipſa ſapientia atq; intellectus,ex quibus diſciplinæ ac ſcientiæ nobis comparãtur, dicuntur in hominis capite:id quod in primis Platonicis placet,ut in puriori & eminẽtiori loco eſſe,quæ per Muſas intelliguntur. Eas etiam palma coronari multi prodidere, propter quandam nominis ſimilitudinem. Phœnicum enim populorum inuẽtum eſſe literæ dicuntur, & ab ijs ad Græcos delatæ:idcirco & id utrunq; apud Græcos phœnix ſignificat, id quod me oſtenſurum pluribus ſpero in primo de Poëtis dialogo. Vel, ut conſentaneum ma-

gis Cornuto uidetur, ideo palma Muſæ coronãtur, quoniam eius arboris fructus dulcis ſit, multiuiuus, tarde creſcens, & multiplex & copioſus. Attribuitur & laurus Muſis, uel quod ea arbor ad inſpirationem & afflatum, & ut Græci dicunt, enthuſiaſmon conferat, quod Sophocles in Caſſandra docet. Vel quod eius arboris guſtu poëticã ſe facultatẽ adipiſci antiqui credidere, ut Lycophron innuit, qui poëtã daphnophagon uocat, & de ſe canit Heſiodus: atq; ideo etiã à Iuuenale dictũ, Laurumq; momordit. Vel potius quod ea arbor ſemper ſit uirens, atq; ſimili modo bonorũ poëtarum uerſus uireſcere perpetuò dicũtur docta per ora uirorũ. Quin & eadem cauſa in Muſarũ & Apollinis certaminibus poëtas uictores, quaſi immortalitate quadam dignos, lauru coronari apud antiquos, & nunc improba quadã ambitione moris eſſe uidemus. His ita à me collectis, planè congruum uidetur, Muſarum etiam cognomina, quorum frequẽs apud ſcriptores fit mẽtio, paucis recẽſere. Sunt igitur in primis Muſæ Nymphæ nuncupatæ, quod Acron notat illo Horatij uerſiculo: Vidi docentẽ, credite poſteri, Nymphasq; diſcentes. Itẽ Vergilius: Nymphæ noſter amor Libethrides. Huc adde quæ de Nymphis Lydorum paulò ante retulimus, quæ Muſæ dictæ ſunt.

Vocantur

Vocantur et Camœnæ quaſi canienæ, à cano, ut Feſtus, Macrobius & Seruius docent. M. tamē Varro primum Caſmœnas dictas ait, inde Carmœnas, poſtremo litera r ablata, Camœnas. Dictæ ſunt & Heliconiades ab Helicone Bœotiæ monte, nō Parnaſſi iugo, ut cum Seruio grammaticorū pleriq; exiſtimarunt. In Helicone quidem, ut antè retulimus, Muſis primi ſacrificauere Otus & Ephialtes fratres, eūq; montem Muſis ſacrū eſſe uoluerunt. Sed & Heliconem quidam fluuium quoq; fuiſſe prodiderunt, qui per L X X. ſtadia lapſus ſub terram fluit, atq; ita X X. circiter ſtadia occulto & ſubterraneo curſu labens rurſus erumpit, et pro Helicone mutato nomine Baphyras uocatur. Id ea cauſa factum Græci fabulantur, quod quæ Orpheum diſcerpſerunt mulieres, in eo cū ſe abluere uellent, fluuius tum alueū abdidit. Quidam Heliconem montem Meliſſum appellant, ut Nicandri expoſitores teſtantur. Alij non à monte, ſed ab inſtrumento muſico quod helicon dicitur, in quo chordæ nouem inueniuntur, dictas Heliconiadas autumāt: de quo quidem inſtrumēto cū alij, tum in muſica ſua meminit Ptolemæus, quā latinam facit noſter Leonicenus. Sed de hoc ſatis. Dicuntur & Parnaßides Muſæ, à Parnaſſo Phocidis regionis monte, qui & Larnaſſus antiquitus di-

ctus eſt, teſte Stephano & Apollonij commẽtatori bus, à larnace, id eſt, ab arca Deucalionis quæ ibi de lata fuit. Longe uero poſt diluuiũ Parnaſſus dictus eſt ab heroẽ Parneſſo eius montis incola, ut Hella- nicus memoriæ mãdauit. Alij à Parnaſſo Cleodoræ Nymphæ & Neptuni ſiue Cleopompi filio. In Par naſſo alternis annis bacchanalia agebantur, ubi Sa tyrorum frequẽs cernebatur cœtus, & plerunq; uo ces exaudiebantur, itemq́; cymbalorum crepitus ad hominum aures perueniebãt, ut apud noſtros Ma- crobius notat. A montibus Aonijs Bœotiæ, Aonides frequenter Muſæ cognominantur. Bœotia quoq; re gio & ipſa Aonia dicta eſt, à cuius etiam populis Hyantijs, Hyantiæ ſorores dictæ ſunt à poëtis. Ci- theriades uero nũcupatæ à Citherone monte, uel ſal tu Thebis propinquo. Pierides uel Pieriæ, à Piero monte, ut ait Feſtus, dictæ ſunt. Stephanus tamẽ Pie riam ciuitatẽ & regiunculã nominat: ſed Apollonij interpretes Pieriam montem Thraciæ aſſerunt, in quo uerſatus eſt Orpheus. Græci Heſiodi expoſito- res Pieriã Macedoniæ montem eſſe tradunt, in quo genitæ ſunt Muſæ, qui mons Thraciam uſq; attin- gere dictus eſt: quod ea ratione fictum arbitramur, quoniam primus apud Græcos et ſapiens & poëta et theologus Orpheus in hæc loca diuerſatus eſt. uel

ſi Ouidio

ſi Ouidio poëtæ credimus, Pieriæ Muſæ dictæ ſunt à Pieri & Anippes filiabus, quæ cum ueris Muſis auſæ ſunt decertare, unde uictæ in picas mutatæ fuerunt. Pierum etiam uetuſtiſsimum poëtam legimus, à quo Græcorum nonnulli Muſas aiunt lepidis adeò carminibus celebratas, ut ab eo etiã Pieriæ nũcupatæ ſint. Alij uero quod Pierus Macedo, à quo mons cognominatus eſt, cum Theſpias profectus eſſet, primus Muſas nouẽ ſtatuerit, id quod in Bœoticis ſcribit Pauſanias. Pegaſides quoq; dictæ ſunt, ut Feſtus docet, à fonte quẽ Pegaſus ictu ungulæ fingitur aperuiſſe: ob quam cauſam & græcè Hippocrenæ appellatæ ſunt ab ipſo fonte, cuius aquas uocales fuiſſe plurimi ſcripſere Græcorũ: à quibus, ut uidetur, Sidonius Apollinaris loquaces denominat, cũ inquit: Texerũt uitreæ uado Hippocrenes, Tunc hac merſus aqua loquacis undæ. & reliquũ. Idem Statius in epithalamio Stellæ poëtæ: Et de Pierijs uocalem fontibus undam. Pindari commentator rem ad allegoriã refert, quod ſcilicet poëtæ ſoliti eſſent canere carmina, uel propter Muſicam quæ fit ex aqua, cuius & nos antè meminimus. Ab eodem etiam fonte Aganippides frequenter appellantur, quoniam & fons ipſe Aganippe cognominatus eſt. Alij licet Aganippe fontem fuiſſe uelint in Helicone, ſic ab Aga-

nippe dictũ Termeßi fluminis filia. Fluit autẽ Termeſſus, ut ſcribit Pauſanias, circum Heliconẽ. Multa hic conſultò prætereo quæ de Pegaſi fabula afferre potuiſſem, ſed ea cum Græcis tum Latinis notiſſima. Ilißides quoq; & Ilißiades Muſæ nuncupatæ ſunt ab Atticæ flumine Ilißio, ut in Attica Pauſanias docet. Stephanus tamen ab urbe Iliſſo dictas exiſtimat, teſtemq́; uocat Apollodorum. Theſpiades uero Muſæ uocantur, non, ut quidam putant, à Theſpia matre uel nutrice, quod nuſquam apud idoneos autores compertum, ſed à Theſpia uel Theſpijs, utroq; enim modo dicitur, ut ait Stephanus, ciuitate Bœotiæ, ubi præcipue Muſæ colebantur. Si quis tamen quærat quænam fuerit Muſarum nutrix, is Hyginum in aſtronomico poëtico legat, & in Aratum Latina commentaria, quæ in Baſſum à quibuſdam referuntur, utriq; enim eam Euphemen uocant, quæ Crotonem filiũ habuit, qui Muſarũ precibus, quod inter eas eſt uerſatus, & ab eis muſicam edoctus, ab Ioue inter ſidera collocatus, ſagittarij nomen habet. Huius quidem Euphemes ſtatuam Pauſanias in Helicone poſitam fuiſſe ait ad Muſarum lucum. At Libethrides à Magneſiæ fonte Muſis ipſis conſecrato nuncupatæ ſunt, cuius Plinius & Solinus meminere. Sed enim Libethrium mon-

tem triginta ab urbe Corona ſtadijs Pauſanias di-ſtare facit, in quo & fons & Muſarum Libethriadum ſimulachra fuiſſe dicuntur. Fuit et Libethra ciuitas in monte Olympo, uel Dionyſij oraculo memorabilis, de non eruendis à ſue oſſibus Orphei. Sunt & dictæ Pimpleiades à fonte uel uico Macedoniæ, ut Porphyrion ait: ut uero interpretes Apollonij, à Pimplia regione quæ eſſet prope Pieriam. Iidem & montem & fontem & pagum Pierij eodē nomine commemorant. Literarū tamen quidam (ut uidetur) parum gnari, Pipleades potius quàm Pimpleiades uocitant. Græci certe, quorum hoc eſt uocabulum, πίμπλεια καὶ πίμπλια, non πίπλια efferunt. Videtur tamen Varro in tertio de lingua latina Pipleadas nuncupare, ſicuti Acron etiam, qui eas ab aliquibus à peplo ueſtis genere dictas ait, uel ab Orchomeniorū monte Pimpleo. Non deſunt inter grāmaticos qui hic meras nugas cōfingant, quæ deuorandæ à nobis potius quàm adſcribendæ ſunt. Caſtalides Muſæ nomīatæ ſunt à Parnaſſi fonte Caſtalio, cuius aqua potu dulcis fuiſſe traditur, quanquam apud Stephanū Caſtalia eſt ciuitas Ciliciæ. Nicephorus in interpretatione Syneſij, fontem eſſe prope Antiochiam Syriæ, ubi oracula redderētur, teſtatum reliquit. Idem ſcribit multò ante Nicepho

rum Clemens et alij. Mythologi quidem Caſtaliam ferunt uirginem quampiam fuiſſe, quam cum ardentius Apollo deperiret, eiq; uim inferre ſtuderet, ſeſe in fontem ipſam præcipitaſſe, à cuius nomine Caſtalius fons cognominatus eſt. Idem grammaticus Lactantius, qui & Lutatius à nonnullis. At uero Probus, Caſtalius, inquit, fons eſt Delphis in Apollinis oraculo, qui abluit ipſam aram dei, dictus à Caſtalio Delphici Apollinis filio, alij à Caſtalio patre Thyiæ, unde Thyiades Bacchæ Nymphæ uocatæ ſunt. Panyaſis poëta Caſtaliam hoc uerſu Acheloida uocat: Caſtaliæ aduenit diuinam Acheloidos undam. (ſic enim ego ex tempore luſi) quo fit ut nonnulli Acheloi filiam Caſtaliã exiſtimarint. Corycides quoq; appellatæ ſunt à colle, uel antro potius Corycio in Parnaſſo Delphis proximo, cuius meminit & Laërtius in uita Pherecydis, & Apollonij Rhodij cõmentatores, qui nuncupatum illud aiunt à Nympha Corycia, cuius & Apollinis Lycoreus filius fuit, à quo Delphici incolæ Lycores nuncupati ſunt, aliæ ſint licet de ijs populis opiniones, quæ noſtri non ſunt inſtituti. Alterum præterea antrum Corycium & urbs in Cilicia fuit, uel croco nota, ut Herodotus & Strabo alijq;. Stephanus tamen & multis alijs in locis eius nominis eſſe urbes oſtendit.

Ad

Ad hæc Mnemoſynides uocatæ ſunt Muſæ, à matre earum Mnemoſyne, quæ, ut diximus, eſt memoria. Pateides quoq;, ut ait Feſtus Pōpeius, à fonte Macedoniæ, propter liquoris eius unicam ſubtilitatē. Dicuntur & Ligiæ, ut in Phædro ſcribit Plato, ſiue propter ſpeciē cantus, ſiue propter muſicū genus canorū quod ligiū nuncupatur. Olympiadas et Varro nominat ab Olympo monte, carmen illud afferens: Muſæ quæ pedibus magnū pulſatis olympum. quod quidē carmen ab Homero deductū uidetur, qui Muſas inuocat olympia tecta habitantes hoc carmine, ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματα ἔχουσαι. Cuius etiānū hemiſtichiū & pars extrema cū apud alios, tum apud Heſiodū legitur. Sed et Olympiadas Terentianus Muſas hoc uerſu uocat: Carmē ſuaue dediſtis Olympiades mihi Muſæ. Item Heſiodus in Theogonia: μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο. Sunt demum Ardalides Muſæ cognominatæ ab Ardalo Vulcani filio, qui cū ad Trœzenios tibiam & Muſas detuliſſet, eas ita appellauit, autor Plutarchus in Sympoſio, & Stephanus, qui ait, ἀρδαλίδες καὶ ἀρδαλιώτιδες τιμῶνται αἱ μοῦσαι ἐν Τροιζῆνι. ſic dictæ uel à quopiam Ardalo, uel à loco. Amplius addit Pauſanias, apud Trœzenios ueterem fuiſſe aram, ſuper quam Mu-

ſis & Somno rem ſacrum faciebant, quod ſcilicet ſomnum Muſis conuenire arbitrabantur. Item Muſas interdum Mæonidas uocat Ouidius, à Mæonia, ut putatur, regione: tametſi à Myonia Phocidis urbe Myonias quidam dictas putant.

Verum his à nobis ſic expoſitis, iam ipſarum nouem Muſarum nomina ſigillatim interpretari aggrediamur. Eſt igitur prima Clio nominata ἀπὸ τοῦ κλέιω, quod eſt laudo, uel ut Cornutus ait, ἀπὸ τοῦ κλέους, propter gloriam quã erga doctos, et ipſi erga alios habent: uel propter gloriã quæ ex poëtarũ laudibus oritur, ut ait Diodorus Siculus. Fulgẽtius tamen, Clio, inquit, prima Muſarũ appellata eſt, id eſt, cogitatio quærẽdæ ſciẽtiæ. Quidã hanc hiſtorijs præeſſe exiſtimãt, quod Apollonij cõmentatores in tertio Argonauticωn affirmãt. Ialemi quoq; mater Clio fuiſſe perhibetur & Hymenæi. Alij tamen aliter, ut paulò infra dicemus. In Adonidis hiſtoria legitur, & ex Magnete Clio genuiſſe Linum, quem alij Vraniæ filiũ prodiderunt, ut ſuo loco dicemus.

Secunda Euterpe uel Euterpea Muſa nominatur, quæ Latine iucunda dici poteſt. εὐτερπὴς enim apud Græcos iucundum deſignat & delectabilem, propter uoluptatem quæ ab audientibus ex honeſta eruditione percipitur. At Fulgẽtius, Euterpe, in-

pe,inquit,quam nos latinè benedelectans dicimus, ideo dicta eſt,quod primum ſit ſcientiã quærere,ſecundum ſit delectari quod quæras. Pleriq; eã tibijs delectari et ijs præeſſe ſcribũt. Alij dialecticæ. Apollonij uero Rhodij expoſitores μαθήματα, hoc eſt,diſciplinas inueniſſe affirmãt. Sunt et qui Rheſi matrem ſcribant.

Thalia Muſarũ eſt tertia,quæ ἀπὸ τοῦ θάλλειν, hoc eſt,à uireſcẽdo denominatur, διὰ τὸ θάλλειν, ut ait Cornutus, τὸν βίον αὐτῶν, id eſt,quod reuireſcere faciat ipſorum poëtarum uitã. uel, ut idem ſubiungit, quoniam & in conuiuijs ipſos uirtutem habere,& honeſte in eis conuerſari ſuadet. uel,quoniam in longũ tempus,ut alij ſcribunt,poëtarũ laus parta uireſcat. Nonnulli Thaliæ comœdias attribuunt,alij geometriã. At Græcorũ quidam eam Palæphati matrem fuiſſe uolũt,qui de colendis arboribus multa perſcripſit. quin et expoſitores Argonauticorum & ipſam Thaliam agricolationẽ inueniſſe tradunt, necnon plantarum curam docuiſſe. Thaleam nos potius latine dicere debuiſſe ſcribit Seruius: nam græce θαλέια eſt, non θάλια. Verũ ea mihi inanis uidetur fuiſſe obſeruatio,quando ει græca diphthongus & in i,& in e,apud nos frequentiſsime uertitur,ut Pitho, Medea,& alia ſexcenta.

Melpomene quarta eſt, quam ἀπὸ τοῦ μέλπεσθαι, hoc eſt, à canendo dictam arbitramur, quoniã hanc audientes demulcentur: uel quaſi μελέτην ποιουμένην, id eſt, meditationem facientem, ut primum ſit uelle, ſecundum deſiderare quod uelis, tertium delectari, quartum inſtare meditando ad id quod deſideras, ait Placiades. Pharnutus tamen ἀπὸ τοῦ μολπῆς, hoc eſt, à dulcedine uocis dictam exiſtimat. Huic alij tragœdias, nõnulli uero cantilenas, Græci quidam rhetoricam adſcribunt.

Quinto loco ſuccedit Terpſichore, quæ choreis delectatur. Eſt enim χορεία tripudium, & τέρπω delecto, eo quod oblectet audientes, propter bona quæ ex doctrina proueniunt. Pharnutus uero appellatam ait διὰ τὸ τέρπεσθαι καὶ χαίρειν αὐτῇ τὸ πλεῖστον μέρος τοῦ βίου, hoc eſt, quoniam uitæ pars plurima ea & delectetur & gaudeat: uel propter aſpectus delectationem, una tantũ adiecta litera χ, quaſi τέρψιν ὁρόν. Quidam hanc citharistriam dixerunt, ei pſalterium attribuẽtes. nonnulli & inueniſſe pædian, id eſt, humanitatis diſciplinam prodidere. Pleriq; ſine afflatu ob uocis aſperitatem ſcribere conſueuere. Ex hac eadẽ Achelous genuiſſe Sirenas, Græcorũ quidam ſcriptores tradiderũt, etſi Seruius & Fulgentius ex Calliope potius ge-

nitas

nitas autument. Ex hac eadem Strymon Rheſum, & Mars Biſthonem, à quo Biſthonia regio nominata eſt, filios ſuſtulerunt.

Amabilis Erato ſextum ſibi locũ uendicat, quã ἀπὸ τοῦ ἔρωτος *deductam etiam Ouidius poëta illo uerſiculo innuit libro ſecundo de arte: Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes. Eadem cauſa illam in tertio Argonauticῶν inuocat Apollonius. Diodorus uero ea ratione id nominis ſortitam eſſe Erato ait, quod docti uiri ab hominibus amantur & laudantur. Placiades tamẽ dictam exiſtimat quaſi* εὑρὼν ὅμοιον, *hoc eſt, ſimile inueniẽs: quia poſt ſcientiam & memoriam, iuſtũ eſt ut aliquid de noſtro ſimile inueniamus. At uero Cornutus ab interrogando & reſpondendo, id eſt,* ἐρέσθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι, *hæc enim duo maxime diſputantibus & eius facultatis ſtudioſis conuenire uidemus. Saltatricẽ Erato poëta illo uerſiculo deſcribit: Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmina uultu. Quin et ipſam ſaltandi rationem inueniſſe, Græci quidam commentatores prodidere, alij muſicam. At Proclus qui in Heſiodum commentarios reliquit, poëſeos ei inuentionem attribuit. Eadem & Thamyræ mater perhibetur, qui amatoria primus cecinit, de quo in poëtarũ dialogis plura. Arcades Erato inter Muſas nõ con-*

numerant, ſed uatem quampiam fuiſſe aiunt, quæ Arcadi Caliſtûs filio nupſerit, eáq; mortalibus Pana oracula dediſſe.

Septima ſequitur Polymnia, quam Polyhymniam interdum etiam propter uerſus menſurã uocatam uidemus, ut in illo: Rhetoricos dictat Polyhymnia muſa colores. Et Horatius: Euterpe cohibet, nec Polyhymnia. Eadem lege et Martialis et Græci poëtæ nonnunq̃ utuntur. Neq; enim ijs aſſentiendũ puto, qui apud Hora. Polymneia legũt, et minus ijs qui neq; prima producta proferunt. Et inde etiã colligere poſſumus, non eã habere deriuationem, quã quidam habere autumant, πολλῶν ſcilicet μνείαν, ut ſi dicas latine multimemorem: nam potius à laude, id eſt, ὕμνῳ deducitur. Cornutus quoq; philoſophus eam uult appellari quaſi πολυύμνητον ἀρετὴν, plurimum quando uirtute laudamur. Verum Fulgentius alterius eſt ſententiæ, ut uidelicet quaſi πολὺς μνεία uocetur, id eſt, multa memoria: memorem nanq; eſſe oportet diſciplinarum ſtudioſum. Vtranq; nominis interpretationem Diodorus uiſus eſt amplecti. Polymnia, inquit, ſic ideo nuncupata, quod cantus ſuauitate poëtas reddit gloria immortales, & poſteritatis memoria commẽdat. Caſſiodorus in uarijs libro quarto de comœdia agens, inquit:

inquit: Vbi ruſtici geſtientes humanos actus lætiſſimis carminibus irridebant, ijs ſunt additæ orcheſtrarum loquaciſſimæ manus, linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio tacita, quã Muſam Polymniam reperiſſe narratur, oſtendens homines poſſe & ſine oris affatu ſuũ uelle declarare: atq; ille quidem his uerbis mimorũ geſtus Polymniæ attribuit: Græci alij quidam grammaticã & literas. Sed enim Plutarchus in ſympoſiacis Polymniæ ideo hiſtorias attribui aſſerit, quod ea multarum rerum ſit memoria. Quidam tamen lyræ præeſſe autumãt, id quod & in commentarijs Argonauticõn Apollonij obſeruatum legimus. In ijs uero quæ in Heſiodum ſcripta ſunt, geometriæ præficitur: tanta eſt adeò inter ſcriptores uarietas. Quidam & hanc ipſam matrem fuiſſe Triptolemi uoluerunt, cum uulgò tamen aliter exiſtimetur.

Vrania octaua eſt Muſa, quam cœleſtẽ quidã, multi aſtrologiam appellant, dictã ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, hoc eſt, à cœlo. Nam, ut ſcribit Pharnutus, ὅλον κόσμον οὐρανὸν ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ, hoc eſt, integrum quidem mundum priſci cœlũ uocabant. unde puto illud eſt Plinij in ſecundo notiſſimum, Mundũ, et hoc quod alio nomine cœlũ appellamus. A cœlo igitur Vrania appellata eſt, quoniã docti ubiq; gen

tium noſcuntur, ſeu quoniam uiros eruditos ad cœlum uſq; euehat, ſeu quod gloria & ſapientia animos eleuat ad cœleſtium contemplationem, ut ait Fulgentius. Aſtrologiæ præeſſe creditur. Quin & ipſius artis inuentricem fuiſſe in commentarijs in Argonautica legimus. Catullus quidem poëta Vraniam Hymenæi nuptiarum dei matrem exiſtimaſſe uidetur in Manlij epithalamio. Sed alia eſt de eo Græcorum opinio, ut ſtatim dicemus. Sanè & Venus Vrania cognominatur à Græcis, ut aliàs ex Pauſania docuimus. Sed et eam Aegyptij hoc nomine uocitant, ut docet Aelianus libro quarto de animalibus. Linum quoq; huiuſce Muſæ filiũ Græci quidam tradidere. Quin ut Pauſanias ſcribit, ante Muſarum ſacrificia Lino parentabant Heliconij. Sunt etiam qui minacem illam & diram Helenæ ſtellam Vraniam appellent, ut teſtis eſt Lutatius ſeu Lactantius Placidus. Miror quoſdam, alioqui eruditos nec incelebres poëtas, qui, quod in quopiam incerti autoris epigrammate legiſſent, Vrania poli motus ſcrutatur & aſtra, unam atq; alteram in hac dictione ſyllabas contractiores, contra omnem temporum muſicorum legem productiores fecerint.

Nona poſtremo loco Calliope Muſa memoratur,

tur, quæ cantus ſuauitate & modulatione cæteris antecedẽs, ab omnibus plurimi æſtimatur, unde & & à bona uoce, hoc eſt, ἀπὸ τῆς καλῆς ὀπὸς deno- minatur: & Homerus canit, θεᾶς ὀπὶ φωνησάσης, hoc eſt, deæ uocem clamãtis. Et Heſiodus eam ait ſequi fortia facta ducum. Pharnutus utiq; eam rhetorice præeſſe exiſtimat, quæ uim perſuadendi obtinet & impellendi populos. Verum alij Græcorum grammatici poëticæ præfectam eſſe aiunt, unde & frequentius à poëtis ipſis inuocari ſolet. Literas quoq; huic ijdem attribuunt. At qui in Heſiodum commentaria compoſuerunt, Calliopen ideo præſtantiſsimam & maximam cæterarum dictam uolunt, quod omnibus carmina & uerſus præſtare dicatur. Ariſtarchus tamen προφερεστάτην, quaſi πρεσβυτάτην, hoc eſt, uetuſtiſsimam & antiquiſsimam interpretatur. Antiquior enim, inquit, poëtica cæteris diſciplinis, cum honore, tum tempore, id quod in primo de poëtis pluribus me oſtenſurum puto. Suprà uero ex antiquis theologis ideo maximam & præſtantiſsimam diximus nonam Muſam, hoc eſt, Calliopen appellatã, quod per eam ſignificetur concors ſonorum uniuerſitas ſphærarum cœli, quas Plato, ne alios nunc

philoſophos citem, moueri exiſtimauit motione con cordis harmoniæ. Ex Calliope uero, teſte Aſclepiade, Apollo natos treis ſuſtulit, Ialemum, Orphea, & Hymenæum: & propterea Martianus Capella et Claudianus Hymenæum Muſa genitum canunt, licet Catullus Vraniæ genus, ut paulò ante diximus, illum fuiſſe canat. Sunt qui non Apollinis Hymenæum, ſed Magnetis filiũ fuiſſe tradunt, ipſumq; Hymenæum amatũ à Thamyra, qui impudicæ ueneris autor fuerit. De Orpheo quoq;, alij non Apollinis, ſed Oeagri filium, ut res eſt notiſſima, ſcripſere. Quin idem ipſe Orpheus alicubi teſtatur. Sed et Cymothona ex iiſdem Oeagro & Calliope progenitum legimus in græcis commentarijs. De Ialemo uero Suidas refert quod infelix fuerit & orphanus, unde etiam prouerbiũ factum, Ialemo frigidior, de re admodum frigida & miſerabili & flebili: nam & fletum Ialemum dicimus. Quidã præterea Calliopes, non Melpomenes (quod ſuprà diximus) Sirenas filias tradidere. Scribit Hyginus Calliopen ab Ioue iudicem electam inter Venerem & Proſerpinam, cum utraq; Adonin ſibi optaret, at illa ita iudicauit, ut dimidiã anni partem alterutra poßideret: qua re, ait, Venus indignata, Orpheum Calliopes filium Threßis mulieribus obiecit, quæ illum

diſcer-

diſcerpſerunt. Atq; hactenus de Muſarum nominibus, eorumq́; expoſitione, ſatis. Nunc quæ ad ipſas in uniuerſum pertinere uiſa ſunt exponam, ſint licet pleraq; omnia fabuloſa, non ſine tamẽ occulta ſignificatione & allegoria. Illudq́; in primis afferemus, Muſarũ uolucres apes exiſtimatas eſſe, cuius rei teſtis eſt Varro doctiſsimus, qui in libris de re ruſtica ita loquitur: Quæ, inquit, apes cum cauſa Muſarũ eſſe dicuntur uolucres, quod & ſi quando diſplicatæ ſunt, cymbalis & plauſibus & numero reducuntur in locũ unum, & ut Muſis Helicona atq; Olympum attribuerunt, ſic his floridos ac incultos natura attribuit montes. Proinde etiam non defuerunt qui Ariſtæum ſcripſerunt paſtorem fuiſſe Muſarũ, propterea, quod primus apes, et mellis uſum adinuenit. Comatan quoq; paſtorem fuiſſe legimus in commentarijs Theocriti, qui ex pecoribus ſingulis Muſis cum rem ſacram faceret, eius dominum indignatum fuiſſe, illumq́; ideo in ligneã arcam concluſum Muſis eius ſalutem commiſiſſe, quas mirum in modum Comatas paſtor colebat: at arcam inſequenti mox tempore adaperiens dominus, Comatan uiuũ repererit, in eaq́; mellis fauos, quibus Muſæ Comatæ uitã cõſeruauerãt. Cicadas inſuper Philoſtratus in Apollonij Tyanei uita, et Plato in Phædro, à Muſis cãtũ

habuiſſe ſcribunt, dicente Socrate. Fertur autẽ olim cicadas homines fuiſſe ante Muſas: natis deinde Muſis, cantuq́; monſtrato, illorum nonnullos uoluptate cantus uſqueadeo delinitos fuiſſe, ut canẽtes cibum potũq́; negligerent, imprudenterq́; perirent: ex quibus deinceps cicadarum genus ſit natum, cui Muſæ hoc munus dederunt, ut alimonia non indigeat, ſed abſq; cibo potuq́; quãdiu uixerit cãtet: poſtea uero ad Muſas proficiſcatur, quam quis hominũ colat renunciaturũ: illasq́; gratas reddit mortalibus, cuius ipſi fuerant ſtudio emãcipati, ſicut amantes Erato, ſaltatores Terpſichoræ, philoſophos Vraniæ, et ſic præterea. Muſas uero alatas ſcribit Porphyrius in tertio de ſacrificijs, id quod & à poëtis ſæpe dictũ eſt. Vnde Ouidius de Pyreneo uim Muſis parãte inquit: Clauſit ſua tecta Pyreneus, Vimq́; parat, quã nos ſumptis effugimus alis. Sirenas L. Columella in carmine de hortis, Muſarũ comites ſtatuit: ita enim ille: Nunc uos Pegaſidum comites Acheloidas oro. Pauſanias tamen et Stephanus Muſas aliquando cũ Sirenibus ab Iunone incitatis certamẽ habuiſſe tradunt, quo uictæ Sirenes pennas perdidere, atq; idcirco à re locus Aptera in Creta uocitatus eſt: tum ex ijs pennis Muſæ ſibi coronas cõpoſuiſſe dicũtur, id quod ſub allegoria intelligi poteſt, de malis et in-

eptis

eptis poëtis, qui bonis infeſti ſunt et fuere ſemper, ſed demum bonis & doctis uincuntur inepti. Exiſtimat Euſtathius ab Homero uerba alata, hoc eſt, ἔπη πτερόεντα dicta fuiſſe, quod cum Muſæ Sirenas uiciſſent in certamine, ex earumq́; pennis ſe coronaſſent, illis etiam placuiſſe ut uerba pennata, ad maiorem Sirenum ignominiam dedecusq́;, appellarētur. Alij non fabuloſe, ſed propter uerborū celeritatem, uel ob eam quæ in ipſis uerbis eſt harmoniā & conſonantiam. Alij quod tanquā alæ uerba aëra feriāt. Thamyras quoq; à Muſis occæcatus fuiſſe traditur, quæ res eſt, uel Homero teſte, notiſsima. Muſas inſuper nigram habere comam, innuere uidetur Pindarus cum cecinit, ἰοπλοκάμων μουσᾶν, in hymnis Pythicis: quo loco interpres exponit μελανοπλοκάμων, id quod quamuis ad formam referri poſſit, nihilominus & ad arcanos & occultos poëtarū ſenſus referri commode poteſt. Paſtores etiā Muſis operari & rem ſacram facere tradit Theocritus, et eius expoſitor, qui hac de cauſa id fieri ait, διὰ τὸ μέλειν αὐτοῖς ᾠδᾶν ὧν αὐταὶ ἔφοροι, quoniā ſcilicet ipſis cura eſt cantilenarum, quarum ſunt ipſæ præſides. Quinimò in hymno quodā Nemeæo Pindarus eas uult filias eſſe Muſarū, cū ita canit: αἱ δὲ σοφαὶ μουσᾶν θυγατέρες ἀοιδαί. ubi cōmen-

tatores hæc identidem inculcant, Muſarũ filiæ cantilenæ: qua de re & Maneros agricola, ut eſt apud Iulium Pollucẽ, Muſarum diſcipulus fuit, qui apud Aegyptios agricolarũ canticũ adinuenit, quod ab ipſius nomine Maneros appellatum eſt. Alia de hoc ipſo Manero Plutarchus in Oſiri et Iſi. Fuit & Romæ Camœnarũ lucus, ut ſcribit Liuius, quẽ Numã Pompilium ait condidiſſe, & medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua: quô quia ſe perſæpe Numa ſine arbitris, uelut ad congreſſum deæ inferebat, Camœnis eum lucum ſacrauit, quod dearũ ſibi concilia cum coniuge Aegeria eſſent, & ſoli Fidei ſolenne inſtituit. Addit Plutarchus in Numa, & locum & prata eiſdem dicaſſe, ubi ancyle è cœlo ceciderat. Dionyſius uero Halicarnaſſeus, & Aegeriam ipſam Muſam ait ab aliquibus exiſtimatã eſſe. Metapontini etiã uicum ubi Pythagoras diuerſari ſolitus erat, Muſarum uocauerunt, teſte Laërtio. Lycurgus quoq;, ut eſt apud Plutarchum, bellicæ exercitationi Muſicæ ſtudiũ admiſcuit, quo bellandi uehementia modulatione temperata, conſonantiã conuenientiamq́; haberet. Itaq; rex anteq̃ pugnas iniret, Muſis, quod etiam Capella teſtatur, litabat, quo & oratiõe præclaraq́; memoria digna facinora pugnantes ederent. Ptolemæum Philadelphum ſcribit

Victruuius

Victruuius in ſeptimo architecturæ, cũ nobiliſsimã ſuam illam Alexandriæ bibliothecam conſtituiſſet, ludos Muſis & Apollini feciſſe, & in ijs uictoribus præmia conſtituiſſe. Pythagoram quoq;, ſcriptum reliquit Cicero, bouem Muſis immolaſſe, cũ neſcio quid in geometria reperiſſet. Illud etiam, quod notiſsimum eſt, addo, Herodotum, qui Græcorũ eſt elegantiſsimus & florentiſsimus hiſtoriarum ſcriptor, cuiq́; neſcio quo modo T. Liuiũ Quintilianus comparat, libros ſuos nouẽ hiſtoriarũ, à nouem Muſarũ nominibus prænominauit. Illud etiamnũ obſeruat A. Gellius, uiros quoſdam doctos libros ſuos Muſas inſcripſiſſe, ut Aurelius Opilius, etſi antiquarij ex nomiſmatibus quibuſdam uetuſtis Opelium potius quàm Opilium ſcribi contendãt. Bion quoq; rhetor nouem & ipſe libros edidit Muſarum nominibus inſcriptos. Mitto hoc loco poëtas pleroſq;, qui fabulas et poëmata eodem Muſarũ nomine uocitarunt, id quod copioſius manifeſtiusq́; oſtendã in his, quos diu parturio, poëtarũ dialogis. Legimus præterea quoſdam apud antiquos Muſæ nomine cognominatos, ut medicus ille inſignis Antonius Muſa, qui cũ Octauio Auguſto uixit. Fuit & Muſa declamator, cuius nonnullæ ſententiæ apud Senecam leguntur. Fuit & Pomponius Muſa, cuius inſignia extant no

miſmata. Sed & Muſam ſuam Athenienſes Minerуam dicere ſolebāt, quam & M. Antonio blandientes, qui ſe Liberum patrem dici uolebat, in matrimonium deſponderūt. ille ducturū ſe recepit, ſed ab ijs ait ſe mille talenta dotis nomine accipere uelle, quā pecuniam & exegit, re eludens inuerecundam illorum aſſentationem. Sed cum doctrinarū & lepôrū Muſæ ſint præſides, homines inelegantes et ſine doctrina ac lepôre antiquo prouerbio eludimus, ἀμούσους græca uoce nuncupantes, eosq́; à Muſis Gratijsq́; abhorrere dicentes. Næ illud quoq; non prætereundum, quod apud Suet. Tranquillum in Auguſto, & Ouidium in Faſtis legimus de Hercule Muſarum, qui à Martio Philippo dicatus eſt, æde conſtructa ipſius dei & Muſarū quæ unà colebantur: cuius rei cauſam Plutarchus in quæſtionibus ueſtigans, ex Iubæ autoritate ait, Euandrū edoctum ab Hercule literas, gratis id ſtatuiſſe. Alij uero Herculem Muſageten appellatū fuiſſe tradunt ſeorſum ab Apolline, cuius antè meminimus: qua de re in oratione de inſtaurandis ſcholis incerti autoris, quā nihilominus Eumenij fuiſſe quidam (quod ex ipſa oratione colligitur) exiſtimāt, hanc talem hiſtoriam his uerbis legimus: Aedem, inquit, Herculis Muſarum in circo Flaminio Fuluius ille nobilior ex pecunia
censoria

censoria fecit, non id modo ſecutus, quod ipſe literis & ſumma poëtæ amicitia duceretur, ſed in Græcia cum eſſet imperator, acceperat Herculem Muſageten eſſe, hoc eſt, comitem ducemq; Muſarũ. Idemq; primus nouem ſigna, id eſt, omnium Camœnarum, quæ ex Ambracienſi oppido translata ſunt, ſub tutela fortiſsimi numinis cõſecrauit, ut res quæ à mutuis operibus & præmijs iuuari ornariq; deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, & uirtus Herculis uoce Muſarũ. & hucuſq; ille. Nec hoc loco omiſerim, fontem Romæ fuiſſe qui Muſarũ fons appellabatur, cuius rei teſtem habeo Plutarchũ in libro de fortuna Romanorũ, qui ait, prope eum templũ uirginis Fortunæ poſitũ fuiſſe, ea ratione, ut puto, quoniam poëtæ ſit opportuna fortuna: uel contrà, quod fortunæ etiam opportunus ſit poëta, quaſi illius præco. Ad hæc Muſis Gratiæ coniunctæ dicuntur, quoniam & poëtis Charites ipſæ neceſſariæ eſſe uidentur. Ab eo uero fonte quem modo dicebamus, non longe abfuit templum illud Muſarum, ad quod poëtæ ſua carmina deferre & recitare ſoliti erant, ſicuti Græci in Athenæo & Odeo conſueuerãt, ut Porphyrion tradit. Eſt autem Odeũ locus, ut eſt apud Suidam, ut alios mittã, à Pericle conſtitutus, in quo muſica edebantur certamina. quod cũ ignoraſſe ui-

deatur Domitius in Pauſaniæ Attica, quam in latinum trãſtulit, pro eo quod eſt, in theatri, quod odeũ nuncupãt, acceſſu, ipſe latinè uertit, in theatri quod cantilenarũ appellant ueſtibulo. Loca etiam ubi ſtudemus, & de ſtudijs literarũ agimus, Muſea appellantur, à Muſis. Muſeum quoq; locũ commemorat Stephanus apud Olympum in Macedonia, idq́; adſtruit Polybij autoritate. Muſeũ inſuper Philoſtratus in uita Apollonij, locum ſeu templum ait eſſe ubi Muſæ colerentur, & reſponſa redderent: quod & Iulius Pollux affirmat, apud quem etiam μουσόληπτος, hoc eſt, Muſarũ numine afflatus legitur. Fuit etiam ſympoſiorũ lex apud antiquos, ut à Gratijs pocula inciperent, & in Muſas deſinerent: qua ex re Apollonij expoſitores tradunt, Muſas conuiuiorum & celebritatum præſides eſſe: unde etiam coronis puto, alijsq́; ſertis, quibus & poëtæ ipſi coronantur, uti dicuntur: qua de re locupletius, ut ſpero, in poëtis agemus. Sed enim iam tempus eſt, ut eo Græcorum trito prouerbio libellum concludamus, quibus magis indies ad diſciplinarum & ſapientiæ ſtudia prouocamur, Muſarũ fores & atria ſemper patêre & aperta eſſe, ſineq́; inuidia & liuore eſſe: hoc eſt, quod illi dicunt, ἀνεῳγμένας μουσῶν θύρας, καὶ ἀφθόνους.

Hæc

Hæc ego fortaſſe pluribus quàm oportuit, & temerè nimis de Muſarum fabulis ſcripſi: non ideo tamen quiſquam uitio uertat, quod Chriſti pietati & religioni addictus, nonnulla his parũ Chriſtianæ religioni conſentanea collegi. Abſit à me, & quidem procul, ut quippiam contra pietatem loqui auſim, nedũ emutire. Illis certe colligendi laborem ademi, quibus exactior eſt doctrina, & maior eloquentia ad gentilium errores explodendos.

DE MVSIS LIBELLI FINIS.

h 5

IOANNI SINAPIO GERMANO VIRO ERVDITISSIMO, ET FRANCISCAE Bucyroniæ puellæ lectiſsimæ, Lilius Greg. Gyraldus lætas nuptias ominatur.

Ite agite ô iuuenes, quos, etſi diſsita longe
Vos genuit tellus, quàm bene iungit Amor.
Cœleſtis uos nectit Hymen, uos perpete nexu
Herculei nodi pronuba Iuno ligat.
Et uobis paranymphus adeſt Cyllenius ales,
Carmina dat Phœbus, Bacchus agit thyaſos.
Quare agite ô iuuenes Veneris ne cedite luctæ,
Maſcula dum ſoboles uos probet eſſe pares.

IN NVPTIAS IOANNIS SINAPII BARTHOLOMEVS Ferinus Illuſtriſs. Principis Ferrariæ Secretarius.

Qvod diuũ auſpicijs Bucyronia docte Sinapi
Ingreditur thalamos culta puella tuos,
Gratulor ex animo, tali tu coniuge dignus
Scilicet, & tali digna erat illa uiro.
Ergo pares animis precor inſudate medullis,
Sit ſine nox curis, ſit ſine lite dies.

Vosq;

Voſq́; ſenes uideant concordi pignora pace,
Quos iuuenes ſancto fœdere iunxit Amor.

ALIVD.

Poſtquam perpetuum longe manſura per æuum
Vos ſtabili iunxit fœdere ſancta fides,
Mutua nunc uario coniungite brachia nexu,
Conturbáte ſimul baſia mille modis.
Cum uero alipedes immerſerit æquore Titan,
Et fuerint multa pocula trita manu,
Ite pares animis nocturna in prælia, donec
Excidat à feſſo debilis haſta uiro.
Læta nec inuideant uobis hæc tempora Parcæ,
Ducentes tarda ſtamina longa mora.

CYNTHII IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI IN nuptias IOAN. SINAPII Germani, & FRANCISCAE BVCYRONIAE Gallæ

EPITHALAMION.

ERgo cum celebrēt tot uates læta SINAPI
Connubia, ut reſonet lætos urbs tota hymeneos
Nos Erato indictos huius linquemus amores?
Quin iucunda cane, & myrto præcincta uirenti

Huc propera, atq; animis facilis tete inſere noſtris,
Nũcq́; SINAPI ambo dulces referamus amores.
Nec te Phœbe pater teneat nũc delphica Pytho,
Quin huc accedas redimitus tempora lauro,
Et plectro inſignis:nobis nam carmina uati
Sunt danda, et medico inſigni.tu carminis autor,
Tuq́; artis medicæ inuentor, nunc gloria poſcit
Te tua,nunc citharæ uocales tangere chordas
Eſt opus,& dulci modulari carmina uoce.
Viderat è ſumma cœli Venus aurea ſede,
Te puerum genuiſſe tibi Germania fœlix,
Qualem nulla unquam uiderunt ſecula,qualem
Non tulit ulla unquam regio,quem matre calentem
Mnemoſyne excepitq́; ulnis,undaq́; Aganippes
Abluit,& paruum Muſis mandauit alendum.
Quem docta Vranie,quo pauerat Orphea lacte
Mæonidem, Aſcræumq́; ſenem,magumq́; Maronẽ
Nutriuit,docuitq́; omnes tentare receſſus
Aonij nemoris,dulceſq́; intendere neruos,
Et doctos numeros uocalibus addere neruis.
Hunc ergo ut uidit uolitantis mater Amoris;
Tu charus formoſe mihi placidiſsima dixit,
Tu mihi miles eris,ſic te fata aſpera nunquam
Sollicitent,iubeantq́; æuo pubeſcere læto,
Aeternos pueriq́; oculis afflauit honores.

Aſt

Aſt ipſum firmata uirum cum reddidit ætas,
Cumq́; annis flos formæ ingens, & gratia creuit,
Obſtupuit magis atq; magis formoſa Dione,
Et ſecum: Nunc quãdo tenent me numina Martis,
Nec mihi nunc fas eſt illius linquere flammas,
Mecum erit iſte labor, compar quod iuncta puella
Sit tibi, quæ pulchra faciat te prole parentem,
Et felix tecum felices exigat annos.
Hæc dicta ubi dedit, Paphias frenare uolucres
Iuſsit, & aurato deuecta per aëra curru,
Dilectam liquitq; Gnidon, Cyprumq́;, Paphumq́;,
Et quà ſol oriens cœlo ſe immittit aperto.
Carpſit iter longũ, & Rhodanus quà affluit undis
Feſſa ſtetit, multisq́; hic tandem è millibus unam
Seligit eximiæ præſtantem munere formæ,
Florentemq́; annis, Bucyrono è ſanguine cretam,
Quam poſsis facile formoſam dicere Cyprim
E medijs exortam undis, quod gratia ſpiret
Huic blãdũ, atq; adſit ſemper bene ſuada uoluptas.
Diua igitur ſecũ hanc liquidũ per inane colũbis
Italiam inuexit, tenues & lapſa per auras
Hanc tibi conceſsit felix Ferraria habendam.
Et dubitamus adhuc, terris magis omnibus unam
Te coluiſſe Cyprim, nunc quando uirgine tali
Te dea donauit, qua non formoſior ulla.

Interea iuuenis Phœbeis altus in antris,
Egregius forma iuuenis, quem dicere Phœbum
Iure queas, citharam ſi pulſet pectine eburno,
Italiam petijt, medicas quò diſceret artes,
Et morbis adhibere manus. duce Cypride greſſus
Huc etiam flexit, rapido quà labitur amne
Eridanus, lambitq́; tuos Ferraria muros.
Tum Venus exultans ſucceſſu læta ſecundo,
Atq; artes meditata nouas, dum fortè puellis
Immixti pueri, manibus per mutua iunctis
Exercent choreas ſinuoſo in crura reflexu,
Regali in tecto Alcidæ, dum tibia cantus
Dant molles, ſonituq́; auras demulcet amœno,
Aduolat ad natum, atq; illi ſic farier orſa eſt:
Nate decus ſummũ matris, mea ſumma poteſtas
Nunc opus arte tua eſt, tua nunc mihi numina pro-
Eſt locus Alcides quà rerum flectit habenas (ſint.
Magnus Ateſtinus, ſoboles digniſsima patre,
Illuc nunc properes celeri per inane uolatu
Nate uelim, iuuenemq́; mihi Germania quondam
Quem genuit, figas telis, teneramq́; puellam
Gallia quam diues Latias tranſmittit ad oras,
Atq; ambos (quamuis illos diſcreuerit orbis
Vltimus) ipſe tuis coniungas ignibus opto.
Et ne te fallat ſpecies, eſt proxima forma

Virgo

Virgo mihi, uſqueadeo, quod tu me credere poſſes,
Ni faceret certa inſignis diſcrimina cultus.
Eſt Baccho iuuenis, Phœboq́; ſimillimus ore.
Quare age nate celer regali te inſere tecto,
Rumpe moras, facilis noſtro patet exitus igni,
Implicitis pariter manibus dum ducere feſtas
Lætantur choreas, & ſaltu corpora librant.
Vix bene finierat, gemmatis aëra pennis
Tranat Amor, charæ & peragit mãdata parentis.
Nanq; ipſe aurata dempſit duo tela pharetra,
Queis erat ex auro fulgens ſub arundine cuſpis,
Et neruo impoſuit ualido penetrabile ferrum,
Curuati duxitq́; arcus mox cornua longe,
Et tandem multa ui adducto ad tempora neruo,
Aurata incautis transfixit corda ſagitta.
Accepere ambo cæcum ſub pectore uulnus,
Vruntur pariterq́; ambo, pariterq́; calores
Ambo fouent, mollisq́; utriq; eſt flamma medullas.
Ex illo eſt formoſa magis pulcherrima uirgo
Viſa uiro, teneræq́; etiam uir uiſus amanti
Pulchrior: illa genas grato ſuffuſa rubore
Hæret in obtutu iuuenis, nunc ſedula laudat
Lumina digna polo, primæ floremq́; iuuentæ,
Ora, manusq́; ambas, niueo & candore ruborem
Immixtum uultu, ceu lilia candida uernis

Mixta roſis, hauritq́; oculis ſcientibus ignem,
Singula dum ſpectat, ſecum dum ſingula laudat,
Externiq́; toros ardens deſiderat orbis.
Nec minus ipſe etiã iuuenis ſua gaudia uerſat,
Lumina dum ſpectat, flagrantis pabula amoris
Lumina, & illuſtris miratur frontis honores,
Virginis os, habitumq́; ſuæ, faciemq́; ſerenam,
Quam liuor, licet id cupiat, non carpere poßit,
Vſqueadeo inuidiam ſuperat: nigrosq́; capillos
Quos ſimul in nodum fuluo collegerat auro
Docta manus. Pariũ & ſuperãtia pectora marmor
Laudat, & in tenero turgentes pectore mammas.
Hic hæretq́; amens, immoto hic lumine perſtat,
Iam cupit amplexus, iamq́; oſcula figere labris
Murice depictis, titubantem & ſugere linguam,
Atq; animam miſcere animæ conſerta per ora,
Gaudia iamq́; tori tacitus ſub pectore uoluit.
Nulla quies animo: nanq; altè eſt uulnus adactum,
Nulla ope Pæonia, nullis medicabile ſuccis.
Sola poteſt Cypris longos finire labores,
Et grauibus curis optatum imponere finem.
Hinc non paſſa Venus curis grauioribus uri
Egregios iuuenes, longos miſerata labores,
Coniugis Alcidæ regalia tecta ſubiuit,
Hisq́; illam alloquitur, dictisq́; inſpirat amorem:
O digno

O digno coniuncta uiro, iam numine noſtro
Facta parens, dulces Lucinæ experta labores,
Et fœlix una ante alias, quæ cœtibus extas
Tantum fœmineis, quantum Latonia uirgo eſt
Virginibus prælata ſuis, Nereidas una
Quantum exto: ſi grata tibi ſunt munera noſtra,
Ne pigeat, quos noſtra diu iunxere uolentes
Numina, iam tandem tæda ſociare iugali.
Quos loquar ipſa tenes, nouit nanq; ultima tellus
Horum ignes, quibus & uotis connubia poſcant,
Nedum tu, aſſiduè cuius coluere penates.
Iam uirgo matura uiro eſt, iam flore iuuentæ
Fulget amans iuuenis, parq́; eſt in utroq; uoluntas,
Alteriusq́; alter placido reſpondet amori.
Antè igitur tacito ueniat quàm ſerior ætas
Vecta pede, & membris irrepat cana ſenectus
Non ſatis apta toro, ſoboli non utilis ætas,
Legitimo incumbant thalamo, natisq́; creandis.
En Hymenæus adeſt, dextra iam lāpada quaſſans,
Flammeolo intectus croceo, cui iungere tæda
Corda ſimul licuit, ne non fœlicia credas
Connubia, & ſuperûm ſummo fore grata parenti.
Quin infenſa mihi Iuno nunc exuit iras,
Et mecum delapſa polo nunc dona miniſtrat
Apta toris, optatq́; æterno hos iungere nexu.

Tu quoq; diua mihi faueas, & perfice munus
Optatum à ſuperis, nec amantum gaudia differ.
His dictis roſea Cypris ceruice refulſit.
Agnouit regina deam, nec plura morata,
Huc iubet acciri charam de more puellam,
Oſcula libauitq́; illi, dehinc talia fatur:
O uirgo dilecta mihi, dilecta Dionæ,
Illa dies uenit qua tu potiere cupito
Nupta uiro, gratare tibi. tunc gaudia pectus
Tentarunt Nymphæ, quamuis ſua gaudia cælet,
Et roſeus tegat ora rubor, pudeatq́; fateri.
Huc autem pallam gemmis auroq́; rigentem
Regina afferi iuſsit, charæq́; puellæ
Exultans placidis manibus conceſsit habendam.
Tum ſociæ huc ſeſe agglomerãt, pars ducere cri
Lætatur comiti nardo, pars pectine eburno (nes
Multifidum diſcrimen arat, parsq́; ordine ponit,
Et uarios nectit flexus, uariosq́; reflexus.
Hæc capiti crinale aptat, radiantibus ardens
Gemmis, diſtinctumq́; auro, quod fœmina Coa
Arte laborarat, precioſæ munera dextræ,
Ornatus reginæ olim, dignusq́; Minerua.
Virgineis aliæ ex humeris demittere ueſtem
Gaudent, atq; aurum tereti circundare collo
Tortile, nexilibus nodis baccisq́; decorum.
Mox

Mox multo comptam cingit regina ſmaragdo,
Et quamuis maior, geſtit minor ire marita.
Talis erat uirgo gemmis redimita coruſcis,
Qualis per uarios terra eſt depicta colores
Vere nouo Zephyri flatu, uel qualis ad aſtra
Iuit ouans tigres leuibus moderata capiſtris
Lenæi coniunx, radianti compta corona.
Huc etiam accitus iuuenis ſe feruidus infert,
Cui roſeæ ceruicis honos, tacitusq; moratur
Tot uotis optata diu connubia amantis.
Ecce autem cœlo miſſus Cyllenius ales
Improuiſus adeſt, hilarans tecta omnia uultu,
Et patris mandata refert, monſtratq; fuiſſe
Cœlitibus curæ hos ut lecti fœdera iungant,
Et capiens dextra iuuenem, læuaq; puellam,
Optatis tandem ſanxit connubia uerbis.
Signa dedit Iuno facti, tunc mollis amorum
Inſultat pubes thalamus, & lilia nectit
Alba roſis, largosq; effundit nectaris imbres.
Præcinit & fauſtum uati quoq; Cynthius omen,
Huc pedibus uectus turba comitante ſororum.
Dulce canunt Charites, canit & Semeleius Euan,
Viſus Amor agitare faces, & ducere luſus.
Tunc tectis menſas famuli longo ordine ponunt
Regifico inſtructas luxu, pars liba parauit,

Parsq́; dapes alias, pars Maſsica uina coronat.
Ergo multa omnes cum ultro citroq́; dedere,
Et tecta ingenti complerunt regia plauſu,
Diſcubuere ſimul. Sed ubi laticumq́; dapumq́;
Eſt exempta fames, & amor compreſſus edendi,
Actutum forma inſignis cultuq́; uerendo
Et genere illuſtris, fœlix tua Gallia proles,
Parthenia Aonijs dudum comes addita Muſis,
Iuncta uiro, necnon præclara prole ſuperba,
Obloquitur numeris, feſta hisq́; Hymenæa frequentat,
Percurrens citharæ uocalia fila canoræ.
Iungitur optato iuueni dum pulchra puella,
Iungitur optatæ iuuenis dum pulcher amanti,
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Tempora præcingat mollis tibi amaracus, atq;
Flammeolus te ornet croceus, croceisq́; cothurnis
Indue diue pedes, fœlices concute tædas.
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Nil ſine te Cypris potuit, nil regia Iuno,
Quamuis illa urat, quamuis hæc iungat amantes.
Non natis unquam poterit domus ulla potiri
Legitima è tæda genitis, ni numine præſens
Ipſe ades, & ſanctis iungatur nexibus unà
Te duce uterq; parens, proli te incumbat uterq;.
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.

Niq́;

Niq́; tuo primæ libentur munere noctes
Coniugibus, fauſtum nil eſt, nil deniq; fœlix.
Pronuba quin furia infœlix his concinit omen
Connubijs, tua quæ penitus pia numina temnunt.
Numinis ergo tui ne deſit gratia nobis,
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Nanq; bonæ Veneris tu dux, tu ſolus amoris
Esq́; autor ſancti, tibi debet quicquid in orbe
Progenuit licito gens omnis munere lecti.
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Te poſcit uirgo uotis, teq́; ipſe maritus,
Et nos te petimus, precibus bonus annue noſtris.
Incuſat iam uirq́; moras, iam pacta puella
Te manet, & cupido ſeſe optat iungere amanti,
Flexipedes iunctæ ut uites frondentibus ulmis,
Brachia uel quercus cingunt nodoſa corymbi.
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Veſper adeſt Veneri gratiſsimus, en age ſegnes
Rumpe moras, uelox q́; pedes huc flecte beatos:
Ne, rogo, ne differ primæ noua gaudia noctis,
Quæ uir ſuſpirat, ſuſpirat pacta puella,
Et deſiderio iam contabeſcit uterq;.
Quare age ſollicitos iam nox coniungat amantes.
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Iam uenit, en tædæ fulgor, iam lutea ſecum

Flammea fert nuptæ, prodat nunc obuia uirgo
Læta deo: pudor ire uetat, timet ipſa quod optat:
Ille tamen properat, felix gratare puella,
Nam fauſto portat lætas tibi ſydere tædas,
Queis coniunx iungere uiro felici Hymenæo,
Inq́; ſinus tendes optati optata mariti.
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Fortunate puer, qualis tibi ducitur uxor?
Non uelox Rhodanus potuit, rapidus'ue Garūna,
Te dignam huc miſiſſe magis, ſeu munera formæ
Siue animum ſpectes, ſeu quo ſit ſanguine creta.
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
O felix uirgo quali iungere marito?
Non mage te dignum uidit gens accola Rheni,
Nec quenquam Latias unquā tranſmiſit ad urbes,
Cui mage te poſſes felici iungere tæda.
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Non ego crediderim factum ſine numine diuûm,
Vt quos extremus tantum diſcreuerat orbis,
Perpetuo iungat nexu felix Hymenæus.
Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Viuite felices longum concorditer annos,
Naſcatur ſoboles reddat quæ utrunq; parentem,
Gallica qua exultet, qua exultet Cymbrica pubes,
Quæq́; utranq; domum factis ſuper æthera tollat.
Huc

Huc ades ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.

Talibus orabat percurrens pectine chordas
Parthenia, & gratis mulcebat cantibus aures.
Interea ſomnos ſuadent labentia cœlo
Sydera, & ad thalamos poſcit Saturnia amantes.
Tunc utrunq; ſimul nectit Venus aurea ceſto,
Hicq́; ubi poſuerat ſocium concordia lectum
Coniunxit fauſto nexu, mox talibus infit:
Nunc uos bella manent uoto quæſita perenni,
Paceq́; grata magis, nunc uobis carpere munus
Optatum toties fas eſt. tu pollice dextro
Carpe puer florem, nec te ſuſpiria flectant
Coniugis, igne pari tecum calet illa, cupitq́;
Quod renuit, noſtras fortis tu ſuſcipe pugnas,
Quamuis illa gemat, quamuis luctetur amanti,
Victa cadet, tecum & capiet ſolatia amoris,
Crede mihi, atq; ultro quæ nunc pauet illa repoſcet
Iura tori: tu tela cape, & iam cominus illam
Aggredere, eſt Phœbes manib. iam zona recincta,
Nuncq́; mora in damno eſt, iam uiribus utere totis,
Virgineumq́; bibat iamiam grauis haſta cruorem.
Fac plagis allecta nouis langueſcat in ulnis
Laſſa puella tuis, inſtantesq́; abnuat ictus.
Tu uero cupido uirgo coniuncta marito
Pone metum tandem, libeatq́; dediſſe petenti

Molle femur iuueni, iam nunc pudor omnis abeſto,
Iam luctæq; uacate ambo, nec prælia iniſſe
Sit bis térue ſatis, cupiunt iterata puellæ
Vulnera, fasq; uiris non eſt diſcedere pugna,
Ni cadat & uictus cedat iam languidus hoſtis.
Amplexus hederas ſuperent, grata oſcula conchas,
Parcere nec lateri libeat, nec parcere luctæ,
Debita dum ſoboles fœcunda creſcat in aluo,
Quæ matrem referat forma, factisq; parentem.
Hæc ait, & clara perfudit luce penates
Alma Venus, petijtq; poli radiantia tecta,
Inq; ſinu Getici penitus reſoluta mariti,
Et iuuenum ludos, & mutua baſia ſpectans
Conſertis repetita labris, uelut æmula amantum
Mollius ipſa etiam ſolito ſe iunxit amanti.
Hactenus hæc nobis licuit ceciniſſe, nec ultra
Progrediar dictis, cum non mihi cuncta pateſcant.
Cætera nox nouit, narret modo cætera coniunx.

EPITHALAMII FINIS.

AD HONESTISS. NOBILISSIMAMQVE VIRGINEM FRANCISCAM Bucyroniam Gallam, quæ tunc à parentibus nobili cuidã Gallo deſponſa eſſe ferebatur, in aula illuſtriſsimæ Principis Ferrarienſis,

εὐχαὶ γαμικαὶ

D. IOANNIS FICHARDI:

SI me Caſtalio dignum Pataræus honore,
Vel me Pieris ulla ſuo uoluiſſet amore,
Non alios equidem meditarer carmine cantus,
Quàm meritas adeò laudes, atq; inclyta famæ
O Franciſca tuæ præconia, me quibus altum
Parnaſum petere, & ſacra flumina ſæpe iuuaret.
At miſer hoc duris fatis excluſus utroq;,
Cum me nec Muſæ, nec iniquus curet Apollo,
(Et meritò, quem caſtra uident aliena ſecutum,
Iandudum ſacros rigidum contemnere fontes)
Quid faciam? inuitis tua ſcilicet ipſe Camœnis
(Imprudens factum) dulciſsima nomina cantem?
Et tamen ille pius, tibi quo ferè iungor amore,
Non ſinit officio cupidum me abſiſtere grato.
Ergo quod ipſa negat mihi Muſa, recuſat Apollo,
Suffice uirgo meæ, uoco te, caſtiſsima menti.
Aſt ego quo tandem feror impete? qua ratione

Eximias laudesq́; tuas & dicere dotes,
Quas tibi magna parens plenis Natura maniplis
Contulit, inſtituo? quæ tanti digna laboris
Gratia? nimirum generoſo ſanguine natam
Te celebrem? magna cum ſedulitate parenti
Eductam utriq;? & teneram puerilibus annis
Artibus inſtructam cunctis, quas ſcilicet iſtum
Noſſe decet ſexum? tum iam præſentia cantem
Ac mihi nota magis, uultusq́; oculosq́; micantes,
Candida purpureum ſubeuntemq́; ora pudorem?
Et tua quæ roſeis dulciſsima uerba labellis,
Qualia Pegaſides poterant decuiſſe ſorores,
Hei tam ſuaue fluunt? & tam iuuenile decensq́;
Quod corpus reliquū eſt? cū te omnia protinus ornent,
Seu tu Santonica uenias uelata calyptra,
Seu rurſum Latio uenias bene compta byreto.
Hinc autem, mihi maius opus, ſi dicere pergam
Ornamenta tuæ mentis, uariasq́; beati
Ingenij dotes, reliquas quibus ipſa puellas
Sic ſuperas, comites ueluti Dictynna minores,
Dum tibi nil prius eſt animi moderamine caſti,
Et ſtudijs rebusq́; pijs, dum ſacra libenter
Scripta legis, cupideq́; intellexiſſe laboras,
Dum noſtras etiam deamas Franciſca Camœnas,
Scilicet hæc, atq; his longe quoq; plura. quid autē?
Hei

Hei mihi, cuncta aliena meis ego gaudia Muſis
Securus cantem? quibus, hei mihi, lætior alter
Iam fruitur partim, & multo amplius inde fruetur?
Ocia non erit hoc uano amiſiſſe labore?
Iam ueniet Gallis huc expectatus ab oris
Ille tuus, cui deberis caſtiſsima, ſponſus,
Qui te quam canimus tota potietur, & eheu
Hinc ſecum patrias, ſua gaudia, ducet ad arces.
Nos mœſti æternum, Latio ſub ſole relicti,
Nequicquam ueteres animo repetemus amores,
Ingeniiq́; tui dotes memorabimus, ipſæ
Poſſeſſore ſuo licito quæ iure tenentur.
Nec tamen inuideo, fati quæ magna uoluntas
Conſtituit, decet ut facilesq́; piiq́; feramus,
Quæ propter potius ſolennia uerba precesq́;,
Ore fauente bonas nos concipiemus amantes:
Hoc etenim pietas monet, & Franciſca mereris,
Vt tum coniugii, quod ſortes fataq́; primo
Sanxerunt æuo, tibi tempora læta precemur.
Ergo præcipuo tibi deditus ipſe fauore,
Hæc ſuperos pro te clara tunc uoce rogabo:
Dii quibus & ſyncerus amor, thalamiq́; iugales
Sunt curæ, tu blande Geni, tu pronuba Iuno, (do,
Tuq́; Hymenæe pater, Charites, Venus alma, Cupi
Vos ego ſupplicibus precor, ô bona numina, uotis,

Iam nuptura ſuo tandem Franciſca marito,
Legitimo ſua colla iugo ſubmittit, & ipſum eſt
Ingreſſura nouum uitæ genus: ô bona amoris
Numina, fœlices illi concedite tædas.
Sit, date, læta dies, ſit fauſta, ſit omine dextro,
Qua ſua ſolenni celebrat nunc gaudia feſto.
Luce ſed eueniat multo nox lætior iſta,
Hæc quando chari thalamis inducta mariti,
Sponſaliq́; recepta toro, ſe iunget amanti.
Mutuus ex illa nunquam cadat ardor utriſq;
Nocte, nihil ſeſe iucundis inſerat annis
Vnde dolere queant, primamq́; remittere triſtes
Lætitiam ſit opus. ſeſe Franciſca marito
Non minus hoc ſemper fœlicem prædicet, ac nos
Nouimus hac illum fore coniuge iure beatum.
Ipſa ſuos omnes fœliciter exigat annos,
Et multa lætum fœcundet prole parentem.
At tu regia Iuno, & tu quoq; mater amoris,
Veſtras exuite ceſtus, & cingite ſponſam,
Aeternoq́; duos coniungite uinculo amantes.
Talia tunc pro te nobis optare licebit,
Alterius ſed fructus erit, tua gaudia creſcent,
Nos triſtes alios deinceps quæremus amores.

FINIS.

i vii

ż VIII

IVDICIVM VOCALIVM DE ΣΙΓΜΑ ET

Ταῦ, ex Luciano uerſum à Cœlio Calcagnino.

EIVSDEM APOLOGIA FEſtiuiſſima pro τ contra σ,

Lucianicæ accuſationi reſpondens.

AMPLISSIMO VIRO THOMAE FVSCO, ILLVSTRISS. HIPPOLYTI CARD. ESTENSIS A SECRETIS, COELIVS CALCAGNINVS S.

QVOD tumultuariò expreſſum opus ad te dem, THOMA Fuſce uir doctiſs. nolim mihi abs te uitio uerti, neq; illud obijci, ἄμυια ὑβρίζεις. Deſperaui ſcilicet me quicquam tam elaboratũ inſtructúmue poſſe apparare, quod grauiſsimo iudicio tuo ſatis foret: tum uero non minus tui uoti quàm exiſtimationis meæ rationẽ mihi habendam putaui. & profectò hæc ipſa celeritas poterit aliquo pacto impolitiem operis excuſare, cuius ea eſt in primis indicatura, is genius, ut te breui admodum à Maximi Principis negotijs auocet, & quàmocyſsime deſinat diſplicere. Bene uale.

ΣΙΓΜΑ ACCVSAT ΤΑΥ, LVCIANO SAMOſateo autore, Cœlio Calcagnino interprete.

QVom ſummum magiſtratum gereret Ariſtarchus Phalereus, Pyanepſionis adhuc cõſiſtentis ſeptima, id eſt, circiter Nonas Octobres, σῖγμα ταῦ literam in iudicium uocauit, ſeptem uocalibus ſuper ui peculatuq́; iudicibus. Querebatur autem ſe inde perpetuò exturbari, ubi ταῦ geminatum ſcriberetur.

QVOM nondum, uocales Iudices, ταῦ iſta præter omnes legum ſanctiones res meas inuadẽs atq; uſurpans, me grauius laceſſeret, æquo animo iacturam ferebã, & ſi qua in me dicebantur, obaudiebam firmè. Noſtis enim optimè æquitatem ac modeſtiam animi mei, quam ſemper erga uos cæteraſq́; ſyllabas ſeruaui. Sed poſtquam adeò eius intemperies atq; inſania inualuit, ut non contenta his quibus me hactenus defraudauit, amplius moliatur, iniuriamq́; uberiorem mihi facere meditetur, operæpreciũ duxi apud uos, quibus abũde utriuſq; mores ſunt explorati, eam in

iudicium

iudiciū uocare. Nam prorſus ingens timor me habet, ne ijs cōtumelijs allidar omnino atq; opprimar: ſit enim ſuperioribus damnis acceßio, mihiq́; plurimum uerendū eſt ne meo loco eijciar, et ſi diutius ſilentio indulſero ac quieti, ne ex literarū albo penitus explodar, aut certe ne animo pendeā: & hoc ipſum ne accidat mihi, ſemper erit extimeſcendū. Par eſt igitur non uos modo ad quas ſpectat iudicium, uerum & reliquas literas huiuſmodi diſcrimine monitas, publicæ ſecuritatis rationem habere. Si enim licuerit in rem alienam graſſari uolētibus, uosq́; illud impunè tuleritis, ſine quibus nihil omnino ſcribi poteſt, non uideo quo pacto ordo ille à primis olim rerum auſpicijs inſtitutus, rationē ac morem ſuum diu tueatur. Tametſi non poteſt mihi in mentē uenire, uos in id negligentiæ atq; incuriæ peruenturas, ut hæc iuri omni contraria ſinatis inulta eſſe. Et profectò ſi etiam à uobis diſceptatio huiuſmodi deſpiceretur, mihi tamen ob id minime ceſſandum putarem, quæ adeò grauia hactenus perpeſſa ſum. Atq; utinā ſic quoq; aliarum deſinat audacia, quæ ad iniurias iam nunc ſe accingunt, nec Lambda aduerſus Rho περὶ τῆς κισσήρεως, id eſt, de pumice, καὶ κεφαλαλγίας, id eſt, de capitis dolore, contenderet, nec contra Cappa Gamma decertaret, & paulò minus

manus conſererent, perſæpe uelitãtes ἐν τῷ γναφείῳ, id eſt, in fullonia, ὑπὲρ γναφάλλων, id eſt, pro tomentis: finem etiã faceret controuerſiæ cõtra Lambda, dum nititur illi μόγις, id eſt, uix, auferre, idq́; omni conatu in rem ſuam uertere. Vtinã & reliquæ ab hac intemperie deſinerent, nec rebus nouis & quotidianis depeculationibus ſtuderẽt: ſatius enim cuiq; intra pelliculam ac fortunã ſuam ſe continere. In ea uero prouehi quæ non licent, tranſilientis eſt iura & metas, quas primus olim nobis impoſuit, ſiue ille Cadmus inſularis, ſeu Palamedes Nauplij: licet non deſint qui Simonidi hoc prouidentiæ tribuant. Ii uero non ordines ſolũ et ſubſellia quibus exiſtimatio cuiuſq; decernitur, diſtinxere, quidúe primum, quid poſtremum, uerum & habitudines, quibus pollemus, et uim ſuam omnibus præſcripſere, & uos quidem, ô Iudices, maiori autoritate illuſtrarunt. Nullius enim indigæ, uocem facitis. Poſt uos autem ſemiuocales honeſtarunt, quæ haud ſanè multa ope ſubnixæ exaudiũtur. Poſtrema uero conditione alias quaſdam condemnarũt, quibus ne uox quidem adeſt. Et mehercule ſponte ſua uocales impoſitas olim leges obſeruant. Verum hæc τοῦ (nequeo enim eam deteriori nuncupatione appellare) niſi ex ueſtro collegio duæ alioqui inſignes conueniſſent,

niſſent, Alpha atq; Hypſilon, ne audiri quidem omnino potuiſſet. Hæc, inquam, me longe præ cæteris auſa eſt offendere. Tentarunt enim & aliæ mihi nomina ac uerba patria interuertere, & à coniunctionibus præpoſitionibusq́; detrudere. Proinde fit ut diutius tantum iniuriarum ferre nequeam, & iam me tempus admonet ut à quibuſdam exordiar. Obuerſabar aliquãdo in Cybelo: id uero eſt oppidũ non inſuaue, colonia (ut fertur) Athenienſium. Erat in eadem tribu & Rho uicinarum optima ac modeſtiſsima: hoſpitabar & apud Comœdiarum poëtam quendã, ei nomẽ Lyſimachus, Bœotes quidem (ut uidebatur) genere, ſed qui ob dicendi elegantiam ex media Attica dici poſſet. Apud hunc hoſpitem primum arrogantiam & peruicaciam huius τοῦ deprehendi, quæ ad id temporis non ſanè multa ſubtraxerat, τετταράκοντα, id eſt, quadraginta auſa dicere, & me à cognatis depellere: ſuſpicabar enim eam coalitarum literarũ conſuetudinem. Vbi autẽ τήμερον, id eſt, hodie, et id genus alia ſubducere intellexi, ſibiq́; priuatim arrogare, licet peraquã graue id foret auditu, non uſqueadeo tamẽ animo indignabar. Sed poſteaquam ad id prouecta eſt impudẽtiæ ut καττίτερον appellare, id eſt, ſtannũ, & κάττυμα, id eſt, ueteramentariã plagulam, &

πίτταν, id eſt, picem, et poſtremo βασίλιτταν, id eſt, reginam, non erubuit ſe uocitare, non mediocri affecta ſum indignatione, et quodãmodo in iram exarſi, uerita ne procedente tempore & σύκα, id eſt, ficus, incipiat τύκα nuncupari. Et mihi per Iouem *exanimatæ atq; omni auxilio deſtitutæ, iure præſertim ſuccenſenti, ignoſcite obſecro: nec enim in re tenui ac mediocri periculũ imminet, mihi inquam à familiaribus et cõiunctiſsimis literis eiectæ. κίσσαν meam, id eſt, picam auiculam cõmode garrulam, è medijs, ut ſic dicã, ulnis, κίτταν euocauit.* Subduxit *etiam mihi φάσσαν, id eſt, palumbum, pariter cum νήσσαις, id eſt, anatibus, & κοσσύφοις, id eſt, merulis, quamuis plurimũ reclamante* Ariſtarcho. Intercepit *quoq; μελισσῶν, id eſt, apũ non paucas.* In Atticam *etiã uſq; penetrauit, et mihi ex eius medio præter omne ius ὑμηττόν, id eſt, hymettũ, uobis omnibus ac ſyllabis inſpectantib. ademit.* Sed *quid hæc pluribus? nónne ex omni θεσσαλίας, id eſt,* Theſſalia *me eiecit, maluitq; θετταλίαν* appellare? Quinimò *mihi omnem θάλασσαν,* id eſt, *mare interdixit.* Ne *in hortis quidem σευτλίων, id eſt, betis, pepercit.* Imò *uero ne πάσσαλον quidem, id eſt, pedamentũ reliquit.* Vos *autem ipſæ locupletiſsimum afferre poteſtis meæ comitatis*

atq; humanitatis teſtimonium, quæ aduerſus Zeta *nunquam dicam conſcripſi, etſi ea ſmaragdum mihi ſuppilauerit, totamq́; ſmyrnã occupauerit. Nec unquam* Xi *literæ negotium feci, omnem inſcendenti* ξυνθήκην, *id eſt, pactionem, quamuis auxiliarem aſſertoremq́;* Thucydidem *habeat. Nam uicinæ meæ* Rho *ægrotanti ignoſcendum puto, quæ penes me ipſam myrtos inſeuit, & mihi interdum atra bile percita* ἐπὶ κόρης, *id eſt, in gena plagam incußit.* Et *ipſa quidem hoc ingenio ſum.* Nunc *rurſus uideamus, quàm hæc* Ταῦ *ſuapte natura uiolenta, atq; in cæteras contumelioſa eſt.* Neq; *enim ab alijs literis abſtinuit, uerum &* Delta *&* Theta *&* Zeta, *& omnia propè laceßiuit elementa.* Age *igitur & literas omnes quæ iniuriam accepere huc ſiſtas.* Accipitis *uocales* Iudices, *quid* Delta *conqueratur: mihi quidem endelechiã abſtulit, honeſtius rata quod præter omnem rationem fuit, entelechiam dici.* Auditis *&* Theta *eiulantem, & crines capitis laniantem, quod* τῆς κολοκύνθης, *id eſt, cucurbita, defraudetur. &* Zeta συρίζειν, *id eſt, ſibilare, &* σαλπίζειν, *id eſt, clangere, perinde ac nunquã ei liceat* γρύζειν, *id eſt, conqueri.* Quis *rogo poſſet in ijs ſibi diutius temperare? uel quæ tandem iudicio peracto in flagitioſißimã* ταῦ *pœna ſufficiet.* Atq;

non modo municipale collegium literarum offen-dit, uerum & in genus humanũ hoc pacto iniuriam facere commenta eſt: nec enim ſinit eos facile & rectà linguam explicare. Plurimum autem, ô Iudices, (nam me obiter res hominum γλώσσης, id eſt, linguæ memorem fecerunt) hac etiam parte me exturbauit, et glottã gloſſam reddidit. O τοῦ uera gloſſæ, id eſt, linguæ pernicies. At nũc rurſus ad eum locum accedo ubi mortalibus patrocinabar, quos illa multis iniurijs affecit. Nam quibuſdam uinculis nectere & ſoluere ipſorum uoces tentauit, & ſi quis pulchrum quid conſpicatus, καλὸν dicere nitatur, hæc ſeſe obijciens ταλὸν dici cogit, ubiq; ſibi primas partes uendicans. Rurſus alter περὶ κλήματος, id eſt, de uinea diſſerebat, hæc uero prorſus τλήμων, id eſt, miſera, τλῆμα fecit eſſe quod erat κλῆμα. Nec ſolũ obuios ac de populo quoſq; lædit, uerum & magno regi cui terrã & mare ceßiſſe dicunt, quiq; eorum naturam immutauit, inſidias molitur, & cum ei Cyrus nomen inditũ ſit, in Tyrum quendam, ferum animal, transformare nititur. Et ſic quidem quod ad uoces attinet homines offendit. Re autem cur doleant & fortunæ uices querantur, & perſæpe Cadmum execrentur quod in elementorum ſeminario τοῦ locauerit, iam eloquar. Tyrannos

rannos

rannos enim ferunt ab hac exemplar petentes, imitanteſq; huius artificium, tum uero eadem imagine ligna componētes, miſeros mortales his affigere conſueuiſſe. Ex hac itaq; & nefario artificio, nefariam nuncupationem profectam conſtat. Horū igitur omnium cauſa quot cædibus τοῦ dignam exiſtimatis? Ego profectò ita cenſeo, hanc unam τοῦ eo ſupplicio plecti debere, cuius exemplum eius forma dedit, & hoc quidem quod σταυρὸς, id eſt, crux, ab illa effigiem, à mortalibus autem appellationem accepit.

COELII CALCAGNINI APOLOGIA

feſtiuiſſima pro Ταῦ contra Σίγμα, Lucianicæ accuſationi reſpondens.

MAGISTRO Athenienſium Ariſtarcho Phalereo Pyanepſionis adhuc ſtantis ſeptima, id eſt, circiter Nonas Octobres, Ταῦ reſpondit accuſationi Sigma literæ, eiusq; argumenta diluit, et in eam periculũ omne accuſationis retorſit, ſeptẽ uocalibus iudicio præſidentibus ad clepſydram.

TAMETSI in iudiciũ inſontem innocentemq́; uocari, Iudices, omnino graue acerbũq́; ſit, poteſt tamen id aliquo modo ferri: nec enim res caret exẽplo. Nam et hoc tempore, & patrum noſtrorum memoria, hoc ſæpe eueniſſe accepimus, ut egregie probi, inuidos haberent, ac ſuæ probitatis perſecutores. Sed illud omnẽ contumeliã, omnemq́; patientiã longe uincit: nec ſatis uideo cuius conſtantia perferri poßit, ut qui iniuriam attulit, nulla præſertim in re unquam laceßitus, ille alteri negotium faciat, et quod ipſe di-

ſcrimen

ſcrimen ſubire debuit, alteri intente! atq; præoccu-pet. Graue omnino atq; intolerabile audaciæ ge-nus, peßimi cuiuſq; improbitate atq; calũnia inſon-tes allidi, & quod ipſe flagitium admiſeris, ei qui in iuriam acceperit, impudenter irrogare. Inter inſi-gnia improbitatis exempla quendam olim apud ma iores noſtros fuiſſe audiuimus hominem longe auda cißimum, qui quom uirum ſanctißimum atq; orna-tißimum ſuæ ciuitatis uulnere affeciſſet, illi proti-nus diem dixit, poſtquam comperit eum poſſe uiue-re. Quom uero ab eo quæreretur, quid tandem ac-cuſaturus eſſet in eo, quem pro dignitate ne laudare quidem quiſquam ſatis commode poſſet: aiunt homi nem, ut erat furioſus & impudẽs, reſpondiſſe, quòd non totum telũ corpore recepiſſet. Propè idem mi-hi uideo in hoc iudicio eueniſſe, cui nullũ præterea crimẽ irrogari uideo, niſi quod auitis fortunis et ma-xima meorum bonorũ parte ſpoliata, reliquũ quic-quam tuear, ac non de uita ac ſpiritu hoc, qui mihi exiguus supereſt, prorſus cedam, neq; planè totum iugulum hoſti execandum porrigam. Quod niſi mi hi ueſtra, Iudices, prudentia et rerum maximarũ ex perientia ſolatium fiduciamq; afferret, potui omni-no tãta audacia conſternari, ſubuererią; ne aſtu ad-uerſarij, ſapientißimi cuiuſq; iudicium præſtringe-

retur, noſtraq́; illius improbitate innocentia opprimeretur. Sed Dis gratiam magnam habeo, qui eos mihi iudices diſceptatoresq́; ſtatuêre, qui neq; gratia auocari, neq; ſimulatione decipi, neq; cuiuſquã fraude præuerti poßint, ſed meos planè & aduerſarij mores cognitos habeãt atq; perſpectos, & utri plus fidei adhiberi oporteat, poßint perfacile iudicare. Sed quoniam poſſet fortaſſe alicui ueſtrûm mirũ uideri, unde tanta hæc inſolẽtia proficiſcatur, ut more præpoſtero depeculator eum accuſet cuius bona diripuit, & graſſator ei diem dixerit quem ſpoliauit, ſi mihi faciles benignasq́; aures præſtiteritis, dabo operam ut omnis ex animo admiratio excutiatur, remq́; ita oculis exponam, ut iam nulla poſſit latebra in huius importunißimæ Sigma conſilijs deliteſcere. Rem itaq; ſic habetote.

Magnam uim habere in animo cuiuſq; conſcientiæ aculeos, eosq́; plurimum uexare qui ſe multò nocentiores intelligunt, quàm ut eorũ diu tegi aut dißimulari poßint flagitia. Hæ ſunt ſcilicet faces illæ, ignes illi, quos poëtæ finxerunt furias in animis malorum excitare: ij die noctuq; Sigma uexant, neq; ſinunt quieſcere, uerſantem animo, quo aſtu tot furta, tot peculatus recondat, quomodo tantum iniuriarum ex noſtris animis auellat, memoriãq; adeò ex-

ulcera-

ulceratã ad alias cogitationes traducat. Certos habeo autores qui ſe pro explorato habere retulerunt, eam res nouas apparaſſe, & ſi quo modo poſſet rei pub. tranquillitatẽ ſubuertere, tentaſſe. Sed tentanti omnia prouidentia ueſtra occluſa, præpedita, obſtructaq́; ſe obtulerunt, omnes aditus intercepti occurrerunt. Huc igitur ſummam conſiliorum uertit, quando illa non procedebat uia, ut præoccuparet ipſa iudicium quod ſibi imminere conſcientia ſua intelligebat, machinasq́; omnes inſtrueret ſi qua fortè poſſet ratione ueritati fucum facere, & uobis ora ſublinere, & quæ à me uel per furtum abduxit, uel precariò abſtulit, ea ſui iuris ſuiq́; mãcipij facere, et domeſtico rationario adſcribere conaretur: quod ſe commodiſsime facturam ſperauit, ſi communicata cum quibuſdam popularibus ſui ſceleris coniuratione, magno ambitu, ſed longe maiore aſtu prior ipſa me nihil tale aut merentem aut ſperantem aggrederetur, tragœdiasq́; illas, quas modo audiſtis, excitaret: quod tam inſidioſe, tam diſsimulãter facit, ut apud ignotos iudices, quiq́; illius ſcænæ apparatum minus proſpicerent, nonnullã fuerit fortaſſe fidẽ accuſatio habitura. Eſt enim ita natura comparatũ, ut ijs neſcio quo pacto propenſius faueamus qui priores expoſtulant, & iniurias quamuis fictas & com-

mentitias priore loco deplorant, eorũq́; preces eam ipſam ob cauſam aliquanto plus exiſtimationis aucupentur: quas tamen ob idipſum multo uehementius deteſtari atq; ulciſci deinde oporteat, quom eorum machinas ſimulationesq́; tẽpus & ueritas ipſa temporis filia retexerit, & iam planè ratio improbitati perſonam detraxerit, id quod in præſenti cauſa facile euenturũ confido, ſi omnia in exactã diſquiſitionem reuocauerimus, quæ modo nobis per ſummam impudentiam obiecta ſunt. Et quoniã (ſi Dis placet) *etiã de nomine ac fortunis in diſcrimen uenimus, diſpicite obſecro* Iudices, *quantum iure ſibi ſua conditione* Sigma *placere poßit: & hæc licet planè intelligam ad ueram gloriam, quæ ſola uirtute nititur, minime pertinere, inuitam tamen me ac tranſuerſam huc rapit impuriſsimæ literæ audacia atq; inſolentia, quæ ab ipſa uſq;* Veſta, *id eſt, à parente literaturæ, ſeu* Cadmus *ille* Phœnix, *ſeu* Palamedes Nauplius, *ſeu* Simonides Syracuſanus *fuerit, perſuadere auſa eſt, & ſui furoris tela in eum uibrare, utpote quem non puduit inſimulare, quaſi parum recte claſſes & ſubſellia literarum digeſſerit, cuius ingenium omnis ordo, omnis ætas ſemper admirata eſt, ut hac una in re tantũ fortè accuſari mereatur, quod huic flagitioſæ atq; ingratiſsimæ literæ nimiũ indulſerit,*

indulſerit, quàm longe abdicari ablegariq́; à ſacro
collegio oportebat. Quis eſt enim qui anguium illũ
ſibilum audiens non exhorreat? Certe Athenienſes
Græcorũ omniũ ſapientiſsimi, ita eam auerſantur,
ut in eius locum plerunq; ξ adſciſcant. Quod enim
ceu crimen Thucydidi autori omniũ grauiſsimo uo
luit imputare, ea maxima eſt Atticorum elegantia,
qui non modo eam ἐκ πόλεως τῆς ξυνθήκης, id eſt,
ex omni fœdere eiecerũt, ſed ex omnibus planè locis
ac regionibus quibus ξυν præpoſitio præfecta eſt,
publica quaſi clarigatione propoſita exulare uolue-
runt. Omne itaq; ξύνταγμα, id eſt, ordinẽ amiſit,
& quã modo parauerat ξυνωμοσία, id eſt, cõiura
tio, excuſſa eſt è manibus. Totius deniq; ξυντηρή-
σεως, id eſt, eius partis cõſcientiæ quæ æquũ ab ini
quo dijudicat, uolens iacturã fecit. ξύμβολα etiam
omnia, tam quæ ad ſodalitates, quàm quæ ad rem
militarẽ pertinent, amiſit. Idem etiam Attici quan-
to eam perſequerentur odio, abundè declararunt,
quom ex omnibus futuris quæ à uerbis in ιζω profi
ciſcuntur, auulſerint: ablegantes enim inuiſam illã,
futurũ circũflectunt, malũtq; ὀνειδιῶ, ῥαντιῶ, μυ
κτηριῶ, enunciare, quàm quod ſolent cæteri ὀνει-
δίσω, ῥαντίσω, μυκτηρίσω. Fecerũt idem Do-
res, gens una omniũ nata ad præclaras actiones: in

eius enim odium tertias perſonas numeri multitudinis & ſecūdi ordinis τῶ περισπωμένων ita auerſantur, ut pro βοῶσι, γελῶσι, pertinaciter βοῶντι, γελοῶντι tueātur, itē ὄπιθεν pro ὄπισθεν ſubſtituant. Sed quid ego Atticos et Dores cōmemoro? ceu uero Iones eam ex omni regione in qua ſe geminatam oſtendit, non excludant, eiusq́; uices ζ literæ tribuant. Quid uero Aeoles? an non ex genitiuis in ους, & uocatiuis in ες, eam eiecerunt, et Σωκράτου, Διομήδου, Σοφοκλέου, & ὦ Σώκρατε, & ὦ Δημόσθενε, illa longe exploſa, uoces multo ſuauiores exoſculantur? Lubēs uero adeò in hunc orationis excurſum diuerti. Nam iuuat obiter τῷ ξῖ, cæteriſq́; ſodalibus, quas mecum indigne inſimulatas accepiſtis, patrocinari, & earum quidem haud ſanè difficilis defenſio. Quid enim obſecro iniuriæ eſt, ſi quando λάμβδα τὴν κισσηρίδα, id eſt, pumicem, rem tantillam ad exterendos expoliendosq́; libros, & id quidem perquam raro mutuetur? Nam quod περὶ τῆς κεφαλαλγίας, id eſt, de capitis dolore cōtendi dixit, trahētibus utrinq́;, eāq́; adſciſcentibus ſibi partibus, hoc ne uériſimile quidē uideri poteſt. Vendicamus enim nobis ea tantū quæ aliquādo ſperamus profutura: at nocitura, natura duce longe auerſamur. Sed ne diutius habeat expoſtulandi cau

ſam,

ſam, per me habeat licet & cephalalgiam, & alia omnia capitis incommoda. Quod autem ad γναφεῖον, id eſt, fulloniã pertinet, et ὑπὲρ γναφάλλων, id eſt, pro tomentis, haud ſanè multa opus eſt contentione, quando inter ſe Gamma & Cappa libenter accommodant, nec alteram alteri gratificari piget, crebroq́; eidem fulloni uolẽtes dant operã, in ijſdemq́; tomentis unanimes cubant, multũ ſcilicet à moribus huius Sigma diſsidentes, quæ tantum abeſt ut cuiq; uelit accõmodare, ut ad aliena potius occupanda omnẽ ſemper animũ intenderit, ſerendisq́; tantũ inimicitijs ac ſimultatibus uacet: & dum huius aut illius partes tueri ſimulat, in animos omniũ odia uenenaq́; inſtillat. Quare, Iudices, ſi quieti ac tranquillitati publicæ ſtudetis, ſi communẽ pacem amatis, hanc longe à conſortio ueſtro ablegate, & tanq̃ malum gramen ad internecionẽ frugũ natum execate. Sæpe enim, ſæpe è neglecto ulcere intractabilem cancrænam uidimus inualuiſſe. Audiſtis ipſæ modo, nec ad huius rei probationẽ teſtimonio egemus alieno, q̃ impudenter ordini modo inſultarit, q̃ inſolenter fortunis illuſerit, quàm grauiter exiſtimationẽ labefactarit. Non alia ſanè cauſa perſæpe accepimus populũ à ſenatu, ciues à patribus deſciuiſſe, niſi quod popularem ſtatũ peſsimo cuiq; impunè

licuerit per iniuriā attrectare. Quom itaq; omnem ordinem noſtrum honeſtiſsimum profectò ac uobis ſemper obſequentiſsimum, impuriſsime, quaſi aliud agens, perſtrinxiſſet, tanquam apis relicto aculeo, mox recta in me ſpicula obuertit, omnemq́; impreſſionem fecit, & fœdiſsimis nuncupationibus ſugillauit, atq; illud primum crimini dedit, quod duæ optimates ampliſsimi ordinis præſidio mihi adſint, ſalutisq́; meæ ac dignitatis curam gerant, quod tantum abeſt ut ego diſsimulem, ut nihil ſoleam ambitioſius prædicare. Semper enim egregium atq; magnificū duxi principibus uiris placuiſſe, eorūq́; autoritate & gratia ſuſtineri, quas et innocentiæ meæ teſtes aduoco, & pro mea exiſtimatione hodie excubare plurimum lætor, præſertim quom inter uos Iudices dignitate plurimum polleant. Eſt enim altera ueſtri ordinis princeps, altera uero auguſta Pythagoreorum religione conſecrata, quæ iiſdem comitijs inauguratæ, me citra externum ullum præſidium tuentur, quod profectò non poteſt non plenū ſummæ laudis uideri. Quanto enim quodq; puritati ſimplicitatiq; uicinius eſt, paucioribusq́; ad ſuam incolumitatem præſidijs indiget, eo ſolet præclarius abſolutiusq́; exiſtimari: ex eo ſummus Imperator qui mari terraq; dominatur, ſe αὐτοκράτορα inſcribit:

bit: nec alia cauſa Phidias, ſiue ille Agoracritus, in Iouis Olympici pollice αὐτάρκης pro titulo impreßit. At hæc literarũ impurißima Sigma, uix tandem multis fulcris multisq́; adiumentis ſuſtineri poteſt, quod eſt eius uel maximum infirmitatis argumentum Nam quom geminæ è uobis ad eam fulciendam acceßiſſent, Iota ſcilicet atq; Alpha, hæc tamen rebus ſuis diffidens, duas etiam è conſonãtibus ſubſidio inuocauit, ex ametabolis alteram, alteram è noſtro collegio, cui tamẽ pro beneficio eam nuper gratiam retulit, ut uniuerſum collegium de ſe bene meritum infamaret, & illi ſuo præiudicio uernaculam et domi natam uocem μόγις, id eſt, uix, interciperet, eiusq́; γναφεῖον, id eſt, fulloniam officinam, alteri adiudicaret: eam deniq; ἐκ γναφαλλων, id eſt, è tomẽtis ſcilicet matæisq́; exturbaret, quo neq; iniquius neq; ingratius quicquam fieri uel excogitari potuit, beneuolentem ac familiarem prodere, & in eam quæ te ſummis officijs promeruerit, ſumma maleficia comminiſci. Sed quiſpiam fortaſſe dixerit eam hac parte inſolentem atq; incommodã, cæteris in rebus ſodalibus utilem eſſe atq; beneficam, ſicut et nos (ſi uera dici oportet) ſex literis ſuppetias imus, nulloq́; loco illis deſumus, quod à me citra arrogantiam dictũ uelim: quæ quoniã etiam libenter

beneficium teſtantur, & nobis adſunt in hoc periculo, age huc nobis et liberalitatis et munificẽtiæ meæ teſtes accedant.

Audiſtis Iudices duas è ueſtro numero, ἦτα & ἰῶτα, audiſtis & quatuor conſonantes, βῆτα, δέλτα, ζῆτα, θῆτα, gratiſsimo animo prædicãtes, me ſibi non modo neceſsitudine, ſed perpetuo etiam contubernio coniunctam eſſe, neq; ſibi ullo unquam loco, ullo in periculo defuiſſe. At cõtrà ſi qua eſt, quæ huic pernicioſiſsimæ Sigma uel tantillum commodi acceptum ferat, iam prodeat obſecro, iam beneficiũ profiteatur. Inclama præco, inclama rurſus. En uobis Iudices nullam prorſus è tanta frequentia prodire, nullam quicquam profiteri. At uidetis duas illas in poſtrema concione, uidetis Iudices duas illas ad dextram alteram, alterã ad ſiniſtram, quæ ſeſe poſt turbam abdunt, quæ pallio caput operiunt, quæ longe cupiunt deliteſcere. Hæ duæ ſunt quas fortunæ ſuæ pudet, quodq́; cum hac nefaria cognationẽ nõnullam habeant indigne ferunt. Macte animo eſtote ξῖ atq; ψῖ, nihil eſt enim quod uos pudeat, nihil eſt quod reformidetis. Cognationem enim cum flagitioſo habere, fortunæ eſt, nõ iudicij. Nã illud tantum uobis uitio uerti poſſet, ſi mores, ſi flagitia, ſi improbitates eius in exemplũ traheretis. Sin ad mode

ſtiam

ſtiam ac uirtutẽ ueſtro more induſtriã ac diligentiã conferatis,ſi,ut grauiſſimè dicã,quantũ huic cognatione hæretis,tantũ moribus diſſidetis,ex huius proſectò ignominia, ueſtra laus cõparatione longe excreſcit. Sed, Di boni,quid hoc mõſtri? quis luror in mediũ procedit? Agnoſco,agnoſco inquam, hæc eſt optima, optima illa, ſed miſerabilis contubernalis mea Zeta,quæ quom neſcio quid æris cũ hac ſæuiſſima Sigma cõtraxiſſet,neq; par ſoluendo foret,ab hac in nexũ coniecta, hunc ſqualorẽ, hãc maciem, hunc lurorẽ cõtraxit. Videtis ipſæ oculis ueſtris,auditisq; contracto rictu, exertis dentibus ſtridentẽ, & quaſi ſardoniũ ridentẽ, ut iam uulgò nomẽ priſtinum amiſerit,et mortuorũ uocetur elementũ. Fortunam autem ſuã deplorat,fidẽq; ueſtrã Iudices implorat,ut aliquod tandẽ acceptæ iniuriæ ſolatiũ aduerſus hanc impurã atq; impiã,aliquã ſuæ calamitatis ultionem inueniat: ſe olim opulentã fuiſſe prædicat, ſed omnia ſibi per ſcelus abrepta,auulſa,aſportata, et nũc paucas admodũ ſarcinulas & quaſi uiliſſima tantũ ſcruta ſupereſſe. Smaragdos enim omnes ſuppilatos, quos à barbaris aduectos olim innumeros poſſidebat: & ſe quoq; Smyrna, quæ ſibi auito iure debebatur,eiectã miſerabiliter cõqueritur. Quin et ſmyrnã,id eſt, myrrhã omnẽ quam ex Arabia ad ſe

mercatores conuehebant, interceptã ingemiſcit, reclamantibus adhuc ſeplaſiarijs, qui eius nota, et quidem geminata, non deſinunt ad hunc diem emporeticos ſacculos obſignare: nihil deniq; iam domi ſupereſſe unde κνίζα, id eſt, nidor, ſentiatur. & nunc etiam Zacynthum oppugnari, parumq́; deeſſe quin è paterna inſula prorſus fuerit exacta: quod niſi prouidentia ueſtra maturè occurratur, de ſe actũ prorſus exclamat: quare & huius horroris ſui potißimam cauſam Sigma fuiſſe, ſeq́; plurimũ uitij ac barbariæ ab eius conſuetudine contraxiſſe atteſtatur. Horrendum enim & ipſa quiddam ſibilat, quale teterrima & exibilanda prorſus hæc Sigma ſibilare ſolet. Et ſanè ad cuiuſnam fidem præter ueſtrã perfugiat, non habet, quando etiã hæc deos atq; ipſum in primis Iouem certis quibuſdã precationibus auocare auſa eſt. Delta enim in auxiliũ adſcito, fauentibus Aeolum nonnullis, δσεὺς pro ζεὺς ſacris libris conata eſt inſcribere, ſicut antea & ζυγὸν in δσυγὸν tentauit immutare, omnibus rei ruſticæ ſcriptoribus eius audaciam improbantibus. Nec id mirum, quom non deſint qui tam manifeſto furto faueant, eiusq́; hoſpites non iam ξένους, ſed κσένους eſſe patiantur. Quo ex ſucceſſu in eum furorem atq; audaciã peruaſit, ut et πέλοψ & ἄραψ

nouam

nouã nuncupationẽ inuenerint, & duplici litera eiecta, duabus in fine notis conſcribãtur. Quod ſi hæc impune fieri licebit, profectò, quod omen Di *procul auertãt, uereor ne breui tẽpore reſpub. literaria magnam iacturam accipiat, clarißimosq́; proceres amittat, et demũ defenſoribus exhauſta, iniuriæ peſſimi cuiuſq; obnoxia relinquatur.* Habetis igitur Iu*dices quid de moribus et conſuetudine huius* Sigma *iudicetis, quam plurimi deteſtantur, laudat nemo.* Sed *antequam ab hac parte diſcedamus, quoniã me quaſi proletariam in ære dirutas et infrequentes reiecit, operæpreciũ puto oſtendere me paternas opes nulla fraude, nulla iniuria partas, ſumma fide, ſumma integritate, quãtũ in me fuit cõſeruaſſe, longeq́; cenſu ac fortunis illi præpollere, quibus non ad cõtumeliã, ſed ad liberalitatẽ atq; innocentiã uti ſoleam.* Age *igitur et cenſorias tabulas profer.* En *uobis* Iudi*ces, prædijs, latifundijs, pecore in rationẽ redacto,* Sigma *in cenſu habet ducenta talenta: cõputato uero familiæ peculio, ſumma ad quatuor & quinquaginta ſupra ducenta deducitur.* Age*dũ & cenſum noſtrum pronũcia.* Pr*ædijs, latifundijs, pecore in rationem redacto,* τοῦ *in cenſu trecenta talenta habet: computato uero familiæ peculio, ſumma ad unũ & ſeptingenta deducitur.* Agno*ſcitis igitur* Iudices

(quod ſine inuidia dictũ uelim) me ac familiam meã longe potiorẽ, opulentiorẽ, honeſtioremq́; eſſe, quã tamen indigne atq; inclementer adeò Sigma dehoneſtare contẽdit, primas ſibi partes ubiq; uendicãs. Noſtis enim & ipſæ omnes quæ in Repub. literaria degitis, quàm hæc ſupra cæteras ſpiritus tollat, ſpiretq́; neſcio quo pacto altius. Videtis enim eam ueſtrûm nemini cedere, niſi ea cõditione crebrius præferatur. Multas etiam ex equeſtri ordine uidetis annuentes in hoc cœtu, et quæ nos dicimus, uultu, oculis, digito approbantes, quod ſe ſcilicet hæc Sigma ſemper præcurrat, ſemper ſe oggerat, è primo autem ſubſellio cedere nunquam uelit. Certe mihi, à me licet multis beneficijs ornata, nunquã, uel in ſummis anguſtijs, uoluit accommodare: quod ego tamen hactenus ex conſueta quadam & genuina animi mei bonitate non ſanè multum abhorrui, in poſterum fortaſſe, quoniam iam ſatis & ſuper ingratum eius animum perſpexi, alios mores probatura. Planè enim intelligo, quicquid ingrato accõmodes aut gratificeris, funditus deperire. Ob huiuſmodi itaq; pertinaciam atq; ambitionẽ, iam uulgò infamis eſt, eamq́; alij ἄσημον, id eſt, ignobilem, alij μονάδικον uocãt, id eſt, ſolitariam, atq; ob ſuperbiam aliarum conſuetudinem detrectantem. Scitis enim comi

tem

tem ſolitudinis eſſe ſuperbiam. Quis neſcit, uel autore Clearcho, eam Pindaro, cui facile omnes inter Lyricos primas deferũt, ita inuiſam fuiſſe, ut Odam integram ἄσιγμον ſcripſerit? à qua non aliter deteſtabilis hæc arcebatur, quàm profani ſoleant ab aris & focis, quibus illud ſæpe inclamari ſolet, ἑκὰς ἑκὰς ὅσις ἀλιτρός. Fecit & Laſus Hermonienſis Odam quoq;, Centauros inſcriptã, fecit & hymnum in Cereris laudem, uoluitq́; utrinq; Sigma perpetuò exulem extorremq́; eſſe. Eius hymni principium uobis teſtimonio eſſe poteſt, id ab Heraclide Pontico traditum eſt poſteris, Δήμητρα μέλπω, κόραν τε κλυμένοιο ἄλοχον. Quin & ueteres illi noſtræ exiſtimationis autores, eius ingenium pertæſi, ac mores iam tum metientes, non modo eam auerſabantur, ſed occurrentem etiam exibilabant, explodebantq́; à reliquarum conſortio, alij ſibilum, alij flatilem probroſo nomine appellantes. Proinde ſi qui ſunt qui mihi pluſculum faueant, & illa reiecta me ad ſe alliciant, poteſt ipſa ſecum expoſtulare, mecum nequaquam poteſt. Hinc igitur illæ lachrymæ, hinc illæ deplorationes, Iudices, proficiſcuntur. Hoc eſt quod Lyſimachum Bœotem, quem honoris cauſa nomino, furtim atque obliquè perſtrinxerit, quod mihi in eius hoſpi

tio diuerſanti blandius arriſerit, hanc uero, uti refractariam moroſamq́; decebat, ſemper contempſerit. Et hæc licet ratio ſine controuerſia apud æquiſſimum quenq; iudicem ſit multum ponderis habitura, tamen ne quiſquã exiſtimet mea me alieno magis iudicio quàm iure defendere, & hoc quaſi perfugio uti ſolere, congrediamur obſecro cominus, eaq́; diligenter penſitemus, & tanquam ad æquilibrium redigamus. Quæ mihi olim iure hæreditario relicta, hæc audet inuadere, & ſibi uendicare non ueretur. Ne autem uobis Iudices orationis magnitudo faſtidiũ pariat, neu leuiſſima quæq; & quaſi retrimenta omnia accuſationis perſequi ſit neceſſe, faſtigia tantũ rerum perſequemur. Et in primis illud inuniuerſum à me dictũ uelim, & καττίτερον, id eſt ſtannũ, et κάττυμα, id eſt plagulã ueteramentariam, & πίτταν, id eſt, picem, & παττάλους, id eſt, paxillos, & τεῦτλια, id eſt, betas, atq; id genus ſordida, aſſertore etiã Theophraſto, partim in latifundijs meis nata, partim à me meo ære cõparata, aut certe gratis ab alijs fuiſſe accepta, quorũ uſuram quoniã Sigmæ literæ omnium ingratiſſimæ aliquo tẽpore permiſi, illa audacia & temeritate ſua utens, non modo clanculũ occupare, ſed palàm etiã uindiciarum iudicio perſequi non erubeſcit, ex meis

ſpolijs

ſpolijs exiſtimationē ſibi quærens & gloriā. Et primum quidē intercepta ſibi τετταράκοντα, id eſt, quadraginta, cōqueritur, longeq́; in me apertiorē calumniam exornat, quàm quæ diu poſsit diſsimulari. Eam enim mihi domi natam, domi adultam, teſtis fuerit fœmina grauiſsima eorū mater τετρακτὺς, quæ licet in Pythagoreorum ſacello religioſiſsime colatur, ſoleantq́; illi μὰ τὸν τετρακτὺν, ſanctiſsime deierare, non inuita tamen, ipſa etiam ἐχεμυθία hoc permittente, ad hoc iudicium deſcendit, in quo & ueritatem tueatur, & me de ſe optime meritam non ſinat opprimi per calumniam. Eius uos interea teſtimonium accipite.

Accepiſtis puto quo loco, qua ratione, quo tēpore ea ſibi apud me liberos peperit, quos planè mihi uernas domi meæ natos teſtata eſt. Sed quoniā publica mortalium conſuetudo ſolet apud pleroſq; maioris teſtimonij fidem habere, quis etiam non nouit illam ſympoſio familiarem cantilenam? ἢ πέντε πίνε, καὶ τρία πίνε, ἢ μὴ τέτταρα, in qua neminem hactenus audiſtis qui τέσσαρα, uocem illepidam atq; inſuauē, pronunciaret. Sed opportune mihi ſympoſij mentio huius perditiſsimæ furiū in mentem reuocauit, quæ ſe clanculū in triclinium conijciens, cottabum æneum ad ludicram conſputationē

paratũ, tentauit aſportare, ſed in manifeſto furto ab atrienſe deprehenſa, relicta præda in pedes ſe dedit et euaſit. Nec ui tamen aut celeritate ulla præuerti potuit, quin ταργάνην, id eſt, ſportulam in quã ſcitamẽta obſonator recõdebat, abſtulerit. Secundo uero loco nõ erubuit τήμερον, id eſt, hodie, ſibi arrogare, atq; in rem ſuã trãſcribere. O perditã nefariæ literæ audaciã, tú ne τήμερον tibi uẽdicare audes? tú ne mea corã tam ſplẽdido ordine tibi arrogare? nec te aſpectus tam excellẽtis collegij à tam inſigni mẽdacio abſterruit? quã rem ut clarius apertiusq́; intelligatis, paulò altius mihi Iudices repetendã puto.

Articuli præpoſitiui, quos in oratiõis regno plurimum pollere cognoſcitis, cum hypotacticis articulis diuturnam olim contentionem habuere. Erat eorum cõtrouerſia, quibus titulis quibuś ue inſignibus internoſci deberẽt. Intercedente autẽ Crate grãmatico, demũ ita fœdus iniuere, ut præpoſitiuorũ quidem ordini ego perpetuò præſes ac præfecta eſſem, recto uno dempto: hypotacticis uero δασεῖα perpetuò aſpiraret: quam operam ego libenter ea cõditione ſuſcepi, ut ipſi omneſq́; eorũ poſteri mea ſemper nota honeſtarentur: itaq́; ſolennes ſuper ea re tabulæ confectæ ſunt. Lege tabulas præco.

En uobis rem planè ut narraui modo. Contigit

uero

uero ut mox τῆ articulus cum ἡμέρᾳ, id eſt, die, inter ſe iunctæ τήμορον procrearēt. Peto à uobis Iudices, an ex pacto, an ex conditiōe interpoſita ego dignitate ac loco meo fraudãda ſim. Quod ſi ualēt iura, ſi ſtipulatio, ſi cōtractus obſeruari debent, profectò nō ſine maxima iniuria Sigma poteſt ad ea quæ mihi iure poſſeſſorio, iure pactionis debētur, graſſari: graſſantē uero atq; irrepentē nō condēnare, grauis & probroſa profectò foret Iudicū intēperantia.

Nunc ad auiculas accedo, quas in meo auiario & natas & educatas, hæc omnibus machinis, calamis, retibus aucupari, et cū ipſo puluiſculo, ut aiūt, id eſt, cū ipſis νεοττίαις, nidis ſcilicet cōuerrere atq; abducere conatur. Hæ uero ſunt κίτται, id eſt, picæ, φάτται, id eſt, palumbes, νῆτται, id eſt, anates, κόττυφοι, id eſt, merulæ, quas et uos olim iudicio ueſtro mihi adiudicaſtis. Poteſtis enim meminiſſe quãta olim inter cōſonãtes lis oborta ſit, quom ſibi quælibet earū auitij genus omne uēdicaret, et longe maior queſtio uideretur, q̃ quæ Iudicum ſentētia ſedari poſſet. Vos publicæ quietis cauſa prudenter admodū conſtituiſtis, ut ſicuti olim Perſæ fecerãt, qui imperij ſortē hinnienti equo cōmiſerūt, ita & nos augurio, id eſt, auium arbitrio totam rem crederemus. Itaq; omnes in publicū naturæ auiarium con-

uenimus, deſignatoq́; tẽplo conſedimus, tum uaria fuit cuiuſq; pro uolucrum cantu occentuq́; uictoria. At κίτται, φάτται, νῆτται, κόττυφοι, ψίττακοι, ταώνων, τέττιγων, τρυγόνων, nobis feliciſsime addixere, & uos arbitræ auſpicij addixiſſe iudicaſtis, eaq́; omnia auſpicia ad perpetuam rei memoriã Ariſtarchus, eiusq́; aſſectator Ariſtophanes, & demum Pollux eius diſcipulus, poſteritati commendarunt, manſitq́; inter nos ex eo tempore pax & concordia, donec impuriſsima hæc Sigma communem omniũ quietem perturbare cœpit, in noſtra atq; in aliorum bona non minore inſania quàm impudentia graſſata. Quod uero ad Hymettum attinet, hoc uobis facile fidem fecerit Iudices, florentiſsimum collem mei auiti iuris eſſe, quod Hymettus heros hanc mortalitatem exuens, amœniſsimũ illud diuerſoriũ ad æſtiuas uoluptates mihi legarit, addita ea cõditione, ut omnes qui uerſarentur in eo, Hymettij uocarentur, Hymeſsius autem nemo admitteretur. Atq; hinc uobis ſubinde conſtare poteſt, apes quæ in eo paſcuntur, delibántq; Hymettios flores, noſtri iuris eſſe. Nam licet illæ inter animalia fera & domeſtica ambiguæ incertæq́; ſint, atq; occupantis fiant, quamprimum tamen in κύτταρον, id eſt, cellam & loculamentum coactæ ſunt, publicæ eſſe deſinũt,

& poſſeſ-

et poſſeſſori adiudicantur. Quid uero dicã Iudices, quod nõ μελίτ]ας, id eſt, apes ipſas abducere, uerũ & κυτ]άρους, id eſt, aluearia ipſa, repugnãte etiã Ariſtotele, conata eſt reuellere, in quibus magna uis μέλιτος, id eſt, cibus ipſe τ͂ μελίτ]ων aſſeruabatur? neq; hanc execrandam Sigma tritum hominũ adagiũ exterruit, Peßime apes furto prouenire. Sed & è tota μολοτ]ίᾳ nititur me omni conatu deturbare. De θετ]αλίᾳ autẽ, Iudices, breuißime dicam uobis, eam quoq; mihi à Thettalo teſtamento legatam: uerũ cum ob quædã facinora capitalia (ut potestis meminiſſe) Sigma eſſet exilio damnata, precario à me petijt ut ei perfugium illud concederem, quod ego humanitate mea magis q̃ aliquo eius merito facile indulſi. Nec ſanè eius audaciã adhuc planè noueram: ita depopulata eſt fortunas omniũ, & meas in primis opes, ut ad ſarciendam iacturam repetundarũ iudicio opus eſſe uideatur. Quid quod delicata fœmina τ͂ θαλατ]ίων, id eſt, maritimarũ etiam rerum ſtudium ſibi poſtulat? nec ſatis putat terreſtres regiones diripuiſſe, niſi & piratica audacia maria etiam infeſtet, quom tamen ipſius impudentiæ thalaßij magis quàm thalattij labores conueniãt. alioqui uulgò notum eſt, χέρσαῖος ὤν, μή ποτε θαλάτ]ιος γίνου. Terreſtris quom ſis, ne maritimus unquam fias. Illud uero quàm odioſum,

m

quàm inſolens, quàm tyrannidi proximum, quod ſe βασίλιϛἀν, id eſt, reginã ſalutari uoluit, & iam regnum exercet. Freta enim Ionum quorundã præſidio, optimos quoſque de populo, τῷ licet meq; lònge reclamantibus, τύπτει, id eſt, uerberat, minisq; in me teſtes tris modo adegit, quos quom nuper quaſi parũ gratos arguerẽ, omnẽ mihi ſcenã calumniæ retexerunt, ſeq; timore cõpulſas, falſum aduerſus me teſtimoniũ dixiſſe profeſſæ ſunt. Quod ſi à uobis impunitatẽ ſecuritatisq; fidem impetrarẽt, ſe totius calũniæ ſcenã aperturas receperũt, id quod uos indulgẽtia ueſtra facile cõceßiſtis. & ecce quàm prompto, quàm intrepido uultu accedũt ueritatem aſſerturæ, quæ modo mendaciũ adſtruxerant. Accepiſtis Iudices nec δέλτα in ἐντελεχείᾳ quicquã iuris habere, nec ſibi quicquã uendicare, niſi quantũ ego ob affinitatẽ indulſero, utpote quam Ariſtoteles ἐκ τοῦ ἐντελέος, id eſt, perfecto, καὶ ἔχειν, id eſt, habere, progenitã primus ſuſtulit, meæq; fidei ac tutelæ cõmendauit, ut ad perficiendam animã aliquãdo par inueniretur, ex qua nõnulli cauſa ſunt perfectihabiã interpretati. θῆτα uero filia mea ſuppliciter impietatis ueniã petijt, cui ego totũ hoc imbecillitati humanæ tribuẽs, libẽter ignoſco. Fatetur enim ultro ſibi omnino nihil eſſe in fortunis, quod mihi uni, quæ ipſam procreaui & alui, nõ libenter acceptum

ferat.

ſtrat. Illa ἄνθος, id eſt, florem, illa κολοκύνθην, id eſt, cucurbitã, illa deniq; ſpiritum illũ quo uiuit, à me accepiſſe profitetur. De ζῆτα uero nihil eſt quod dicam uobis Iudices, uidiſtis ipſæ, audiſtis ipſæ. At illud perquam ridiculũ, quod Sigma imprudẽs (tanta eſt ſcilicet uis ueritatis) ſua furta detexit, et quaſi ſorex ſuo ſe indicio peremit. Quod enim ζῆτα neque γρύζειν, id eſt, cõqueri, neq; σαλπίζειν, id eſt, buccinari, neq; συρίζειν, id eſt fiſtula canere poßit, ipſius certe unius iniuria eſt. Hæc enim nunc populares quaſdam ſuas, nunc auxiliares alias concitans, facta impreßione miſeram ζῆτα ex omnibus bonis ſuis exturbat. Teſtis mihi Theocritus, in cuius hoſpitio confidenter nimis prolocuta hæc dicitur, ἁδὺ δὲ καὶ τυ συρίσδεν. quod uerbum nemo unquam Atticus approbauit. Alioqui & publicum edictum noſtis, quo illi in primis uerborum poſitionibus uerſari interdicitur: qua in parte mihi uenit in mentem, quod non prætermittam, νῦ publice perſæpe conqueſtam eſſe, quod hæc Doribus quibuſdam ſecum per factionem accitis, eam è primis τῶν βαρυτόνων ῥημάτων perſonis pluralibus eliceret, λέγομες, non λέγομεν auſa pronunciare. Ego uero quod ad me attinet, Iudices, neque κάππα unquam offendi, neq; κλῆμα in τλῆμα, neque κάλον in τάλον inuertere, neque κύ-

ρον in τύρον cõmutare unquã tentaui, ſed & locũ meũ mihi retinui, & quantũ in me fuit dignitatem atq; exiſtimationẽ cuiuſq; incolumẽ intactamq; ſeruaui. Vos ergo di deæq;, uos penates noſtræ reip. et te auguſta Sais & ſanctiſsime Thoyt, uos inquã religioſiſsime adiuro, me neq; uoluiſſe unquã, neq; cogitaſſe ullius ſtatũ uiolare aut dignitatẽ ſubuertere, neq; ſemper intra præſcriptos fines ac limites ſtetiſſe, neminiq;, quantũ in me fuit, incõmodaſſe unquam, quodq; hactenus feci, me facturã ſumma cura diligẽtiaq; perpetuò polliceor. At cõtrà, hæc Sigma nihil tam ſanctũ inuenit, quod non uiolauerit: nihil tam purũ ac ſyncerũ, quod nõ impuriſsime fœdauerit. Nam & Attalũ, & Artaxerxem, & Artabanũ, tanquã maga ac uenefica quædã uoluit uerſipelles facere, atq; in portenta quædã inaudita cõuertere. Scitis itaq; Iudices, & uos ſcire ſciũt omnes, nihil aut uerum, aut uero proximũ quicquã Sigma in me dixiſſe, ſed omnia per calumniã, per contumelium effinxiſſe, quin ipſam planè eius criminis damnandam eſſe cuius me arguit, ipſam cõmunem omnium quietẽ, tranquillitatẽ, cõcordiam labefactaſſe, ipſam de omni ordine, de omni cõditione peſsime atq; iniquiſsime meruiſſe. Decet igitur uos cogitare ut ea in ipſam pœna ſtatuatur, quæ et magnitudini ſceleris reſpondeat, & cæteris in poſterũ exemplo

eſſe

eſſe poſſit, ne paria meditentur, ſed omnes intra datos limites cõquieſcant. Nunc poſtrema mihi opera ſupereſt obeũda, circa formæ atq; imaginis defenſionem, in qua etſi nõ multũ laboro (neminem enim unquam quali forma natus eſſet pœnituit. Quid enim hic ingeniũ cuiuſquã aut induſtria requiratur, ubi neq; optio, neq; acumen iudicij prodeſſe poteſt? Et quidem perſæpe uidimus ſub degeneri forma generoſum ingeniũ deliteſcere) cogit me tamen improbitas atq; impudentia huius Sigma in hunc locũ, ut uel intempeſtiuã ac parũ neceſſariã defenſionẽ aggrediar, uel ſi quid per ſilentium tranſmiſero, bonæ cauſæ defuiſſe, neq; omnes defenſionis numeros impleuiſſe uidear: & uera fortaſſe quædã Sigma exiſtimabitur dixiſſe, ſi ego nõnulla prætermittam quibus ordine non reſpõdeam. Par eſt igitur ut omnia diluam, omnia eius argumenta, importuna licet ac parum fortaſſe ad rem pertinentia, diſcutiã. Quare ſi quid uidebor parũ apte uel non ſuo loco dixiſſe, omnem in eam culpam reijcite, & dum hoc quantulumcunq; munus ſupereſt abſoluo, quales mihi aures hactenus præſtitiſtis, oro atq; obteſtor deinceps accõmodate. Ego quidem primũ, Iudices, mihi eam formam gratulari ſoleo, quæ neq; ad luxũ, neq; ad iniuriam accommodata ſit, ſed rectam planè ac teretem & expeditam, & qualis neque ad ignauiam,

neq; ad contumeliam idonea uideatur: quam tantū abeſt ut probi atq; ingenui reformident, ut ab Aegyptijs magno in cultu magnaq́; in ueneratione inter hieroglyphica ſacraq́; indigitamenta habita ſit, & ab ijs nota ſalutis nuncupetur. Quin & ultro ipſa fateor, crucis qua ſontes plectuntur effigiem atque imaginem oſtēdiſſe: nec piget rei tam ſalubri & generi hominū tuendo tam accommodate exemplum dediſſe. Proprium enim ſemper fuit familiæ noſtræ, flagitioſos, & qui parū caſtas manus haberēt, perſequi, quando & mea etiā filia θῆτα nocentes ac iudicio conuictos damnare ſolet, & nunc in deorum numerum relata, numinis uicem implet. Quod ſi nos hac cauſa reprehendi par eſt, reprehendantur eadē ratione & ciuitatū iuſtitia & leges, quæ ſceleratis flagitioſiſq́; ac planè literæ Sigma ſimillimis, ſupplicia & pœnas ſtatuere. Sanè ego me tam nobili accuſatione inſimulari malim, quàm quod audio Sigma ſine fine iactantem, ſe ſcilicet locū comeſſationibus ac propudijs fuiſſe architectatā, ex quo quenquā ſobrium aut caſtum, aut certe frugi exiſſe turpe eſt: qua ex re apud Sybaritas ſe ſtatuam meruiſſe, ad immortalitatem æternitatemq́; nominis ſui pertinere arbitratur. Sed quid ego in re præſenti atq; oculis expoſita orationē quæro? Spectate uos ipſi Iudices, ſpectate obſecro huius Sigma faciem haudquam

quam ſibilo & cõtumaciæ ſuæ abſimilem: ſpectate toruos oculos, promptasq́; atq; erectas ad iniuriam manus: ſpectate ira & furore æſtuantẽ, et paulò minus in nos impetum facientem. En ut ſeſe in ſpiram cõtorquet? ut grauiter inſibilat? ut prorſus in anguino corpore anguinos ſpiritus agnoſcatis. Cæterũ ut quod cœperam περὶ ϛαύρȣ, id eſt, de cruce ſermonem breuiſſime abſoluam, ſi rem diligenter perſpexeritis Iudices, inuenietis non me, ſed Sigma ipſam primam ex omnibus ϛαύρȣ, id eſt, crucis nuncupatæ principium dediſſe. Quom enim ego aliquãdo in cœtu clariſſimorũ hominum περὶ ταύρȣ, id eſt, de tauro animali generoſo ac ſocio laboris humani uerba facerẽ, hæc protinus ſeſe obijciens & partes primas uendicans, ταῦρον in ϛαῦρον commutauit: id quod paucis ante diebus fecerat, quom ego de Muſicis cõcentibus loquens τόνον dixiſſem, hæc ſeſe impudenter actutum aggerens, ϛόνον, id eſt, gemitum et ſuſpiriũ iuſſit eſſe, qui τόνος antea fuerat ad oblectandas hominum aures natus: digna ſe prorſus ac ſuis morib. cõſectanea elocuta. Quæ, niſi uos iudicio defueritis, id quod ego profectò uos pro ueſtra conſuetudine facturas confido, non uereor quin ἐν ϛαύρῳ, id eſt, cruce, & ϛόνοις, id eſt, ſuſpirijs, reliquã omnẽ quantaquãta ſupereſt actura ſit ætatem.

FINIS.

ORVS APOLLO NILIACVS
de Hieroglyphicis notis, à Bernar
dino Trebatio Vicentino latinita=
te donatus.



PARISIIS
EX OFFICINA ROB. STEPHANI
M. D. XXX.

Qui gratiam libellis aucupantur, eos pumice poliunt, purpura veſtiunt, vt etſi mali ſint, curatura boni videantur. qui vero eodem modo debita ſoluunt, negligentiores ſunt. hos ego imitor. Ex his enim ſum, & libellum, vt peperi, nudum tibi trado. tu, ſi non peſſimæ indolis videbitur, ac tollendum putabis, indui facies. ſin minus, proxima fœtura aliquod fortaſſe melius ædam. Vale.

TREBATIVS

CONRADO PVTINGERO AVGVSTANO, IVRISCONSVLTO BERNARDINVS TREBATIVS VICENTINVS S. D.

NOrum latinũ, ſi modo id ſum conſecutus, exhibeo tibi patrone optime: ſit enim hæc tui veriſſima appellatio. nam, vt omittã dicere de hominibus, patronus es Reip. literariæ, debet tibi omne genus ſcriptorum. ſiquidem ſic omniũ es ſtudioſus vt omnes habere velis, conquiras vndique, nõnulli multos annos deſyderati nunc demum tua opera legantur. Hiſtoriarum vero ſeries omnis per te explicatur, ac habent in te viuum exemplar. Antiquitas ipſa nullo magis gaudet alumno. Romani autem Cæſares quem alium malint curatorem? non tibi eorum geſta cognouiſſe ſatis, eos ipſos ſignatos omnes in chartis, ære, argento, ſolido auro demonſtras. Et quod viui non potuerunt, mortui adepti ſunt: vt eodem tempore, & iuuenes, & ſenes, & in omni ætate quales fuerint conſpici poſſint. Sed & ipſi Romani duces, quòd non ſecũdo perierint, tibi acceptum referunt, tu eorum epigrammata colligis vndecunque, & iam vetuſtate collapſa, dimidiata ferè, reſtituis, ac das vt, poſtquam in marmore nequeunt, in chartis legãtur. Sed quid ego hæc de te ad te? alijs melius aliquãdo narrabo. Quin Græci ipſi, ſi quis inferis ſenſus, tibi bene precantur. nã cũ iam deſint ex eo-

rum genere qui legant, curas tu vt à latinis legi poſſint: optarem vel hac cauſſa patêre mihi Græcorum penetralia, vt ſatis tuæ poſſem facere volũtati. debeo enim tibi omnia cũ ob beneuolentiã, tum ob merita multa: tu mihi viſo tantum omnia amicitiæ, vel antiquiſſimæ officia præſtitiſti, domo me ſuſcepiſti, petenti omnia tribuiſti, multa etiã vltro obtuliſti, idque nullis meis in te meritis. Quòd etſi in omnes itidẽ humanus es & liberalis, me tibi tamẽ plus cæteris debere ſentio. Verũ in præſenti: qui me memorẽ oſtendã, habeo nihil præter animũ, & hoc quicquid eſt libelli, quẽ, quia non ingratũ tibi fore ſentiebã, tranſtuli maiori voluntate, quàm facultate. nam & adhuc in hac lingua peregrinor, & eſt libellus eiuſmodi, vt ne à Græcis quidem ipſis totus legi poſſit. Inerũt & quæ fortaſſe nugatoria ac frigida videantur, quæ tamen ego non ommiſi. non enim Cenſoris, ſed Interpretis fungebar officio. nec animus fuit ita religioſe vertere, vt verbum verbo redderem: quid enim ineptius? Latinis enim, nõ Græcis laboraui. Quantum autem effecerim: tu facillime iudicabis, & ſtatues an eiuſmodi ſit opuſculum, vt ei in tua refertiſſima bibliotheca locus eſſe debeat. Vale decus patriæ, ac meliora ſi deus annuerit, aliquando expectes. Auguſtæ, duodecimo Calend. Maias. Anno M. D. XV.

ORI APOLLINIS NILIACI HIEROGLYPHICA, PER BERNARDINVM TREBATIVM VICENTINVM DE GRAECIS TRANSLATA.

QVOMODO AEVVM SIGNIFICANT.

AE Vum ſignificantes Solem & Lunã deſcribũt, eo quòd ſint hi Planetæ æui elementa. æuum aliter ſcribere volentes Serpentem pingunt, caudam reliquo corpore tegẽtem. eum vocant AEgyptij Vreum, id eſt, Baſiliſcum. quo quidẽ aureo formato deos circũdant. AEuũ autem dicunt AEgyptij per hoc animal ſignificari, quoniam cum ſint tria genera Serpentum, cætera quidem moriuntur, hoc ſolum eſt immortale. hoc & quodlibet aliud animal ſolo ſpiritu afflans, abſque morſu interimit. Vnde cum vitæ & necis poteſtatem habere videatur, propter hoc ipſum deorum capiti imponunt.

QVOMODO MVNDVM.

Mundum ſcribere volentes Serpentem pingunt, ſuam ipſius caudam deuorantem, diſtinctum varijs ſquamis. per quas Mundi aſtra figurant. Et grauiſſimum quidem hoc animal eſt pro magnitudine, quemadmodũ terra. eſt etiam lubricum, & in hoc aquæ ſimile, ac ſingulo quoque anno pellem vnà cũ ſenio exuit. Secũdum quam

rationem & in mundo annuum tempus mutationem faciens iuueneſcit. Quòd vero pro cibo corpore ſuo vtitur, ſignificat id quæcũque diuina prouidentia generantur in mũdo, hæc omnia in eũdem diminutionem pati.

QVOMODO ANNVM.

Annum ſignificare volentes, Iſidem, hoc eſt, mulierem pingunt. hoc ipſo etiam deam ſignificant. Eſt autem apud AEgyptios Iſis aſtrum, eorum lingua Sothis nominatum, Græcorum vero aſtromyon. quod & cæteris aſtris videtur dominari, aliquando maius, aliquãdo minus apparẽs, & nũc quidem clarius, ſecus aliás. Adhuc etiam in eius ortu, omnia quæ proximo anno futura ſunt, prouideri ſolent. Qua ex re non immerito annum appellarunt Iſidem. Et aliter annum deſcribentes palmã arborem pingunt, eo quòd hæc ſola præter aliarum naturam ad Lunæ ortũ ramum vnũ emittit. Ita vt in duodecim ramis annus integer perficiatur.

QVOMODO MENSEM.

Menſem ſcribentes ramum pingunt, aut Lunam inuerſam. Ramum quidem ob eam, quæ in palma arbore dicta eſt cauſſa. Inuerſam vero lunam, quoniam, vt dicunt, cũ ſtatim oritur, quindecim reſtant partes, ad hoc vt cornibus in ſuperiorem partem diductis appareat. Cum vero occultatur, triginta dierũ expleto numero in par-

tem inferiorem cornua declinat.

QVOMODO ANNVM INSEQVENTEM.

Annum inſequentem ſignificantes, quartam partē arui deſcribunt. Eſt autem aruum menſura terræ cubitorum centum. volentes autem annum dicere, quartum dicunt: quoniam, vt perhibent, ab ortu aſtri, quod Sothidem vocant, ad alium ortum intereſt diei pars quarta. Et eſſe annum ſolis dierum trecentorũ, & quinque ſupra ſexaginta. Vnde quarto quoque anno diē ſuperfluum AEgyptij adnumerant: quater enim pars quarta diem complet.

QVID SIGNIFICENT SCRIBENTES AQVILAM.

Cum volunt deum ſignificare, aut altitudinē, aut depreſſionē, aut excellentiā, aut ſanguinem, aut victoriam, Aquilam pingũt. Deum quidē, eo quòd ſit auis hæc fœcunda & longæua. Et ad hoc quòd videtur ſimulachrum eſſe Solis, cũ præter cæterorum volatilium naturam intentos oculos teneat in radios ſolares. Vnde & medici in oculorum medelam herba ab Aquila dicta vtũtur: & ſolem tanquam dominũ viſus, aliquãdo Aquilæ forma depingũt. Altitudinē, quoniã cætera quidem volatilia, cum velint in altum aſcēdere, oblique feruntur, cum non poſſint in directum volare: ſola autem Aquila in altum recta fertur. Depreſſionem, quoniã eodē modo cæteræ aues

obliquæ ad terram feruntur. Aquila ſola recta deſcendit. Excellentiam, quoniam Aquila cæteris volatilibus præſtare videtur. Sanguinem, quoniam, vt dicunt, Aquila non aquam, ſed ſanguinē bibit. Victoriam, quoniam videtur reliquas aues omneis ſuperare. ſi cui enim congreſſa vinci ſe ſentiat, reſupinat ſeſe, ac dirigit vngues: alas ac dorſum ad terram verſa: atque hoc modo pugnat. auis vero inimica, cum hoc facere nequeat, facilè in fugam vertitur.

QVOMODO INDICANT ANIMAM.

Et pro anima Aquila ponitur, ex nominis interpretatione. Vocatur enim apud AEgyptios anima Baieth. hoc autē nomen diuiſum, animā ſignificat & cor. eſt enim bai anima, eth vero cor. Cor vero apud AEgyptios eſt ambitus animæ. vnde nomē ipſum ſonat, quaſi cordatā animā. Qua ex re Aquila eiuſdem naturæ cū anima, vt plurimū aquā nō bibit, ſed ſanguinē: quo & anima nutritur

QVOMODO MARTEM ET VENEREM.

Martem & Venerem ſcribentes duas aquilas pingunt. marem, quem Marti comparant: & fœminam, quā Veneri. Et hoc ideo quia reliqua animalia non ſemper mari ad omnē mixtionem parere volunt, Aquila vero ſemper. Ter decies enim in die compreſſa poſtquam ſurrexerit, ſi mas vocet, denuo accurrit. quapropter cum maxime ſit in Venerem prona, AEgyptij eā venerem vocant.

Et propter hoc etiam Aquilam Soli dicarũt, quia Solem imitata terdenum numerum coeũdo complet. Aliter Martem & Venerem ſcribentes, geminas cornices pingunt, marem & fœminã. quoniam hoc animal duo oua parit: ex quibus marẽ & fœminam generari oportet. Si autem eueniat, quod raro euenit, vt duo mares generentur, aut duæ fœminæ, iugati mares cũ fœminis alteri cornici non admiſcentur. Itidem neque fœmina alteri mari, verum diſſociati Soli degunt. Ideò vnicæ Cornici occurrentes augurantur futurum, vt viduali vita ſibi viuendum ſit.

QVOMODO NVPTIAS.

Cum nuptias ſignificare volunt, geminas cornices pingũt, ob eã, quæ ſuprà dicta eſt, cauſſam.

QVOMODO VNIGENITVM.

Vnigenitum ſignificantes, aut generationem, aut patrem, aut mũdum, aut hominem, Scarabeũ pingunt. Vnigenitum quidem, quoniam per ſe generatur hoc animal non conceptum à fœmina. huius enim ſolius generatio talis eſt. Cum libuit mari procreare, excremẽto bouis inuẽto, ex eo pilulã conficit rotundã, ad cæli ſimilitudinẽ. quam innixus tergo rotat ab ortu occaſum verſus, ad orientẽ Solem ipſe reſpiciens, quoad rotunda effecta mundi formam acceperit. Sol enim ab oriente in occidentẽ fertur: iterum rediens in orientem.

Contrario vero motu fertur aſtrorũ curſus ab oc‑
cidente in orientem. hãc igitur pirulam defodiẽs
relinquit octo & viginti dies. tot enim diebus Lu
na duodecim ſigna, quæ ſunt in Zodiaco, meti‑
tur. & ſub ea perficitur animatum Scarabeorũ ge
nus. nono autẽ & vigeſimo die pirulam aperiens,
in aquam proijcit: hoc enim die putat cõiunctio‑
nem fieri Solis & Lunæ, & mundi inſuper gene‑
rationem: qua aperta in aqua animalia prodeũt,
quæ ſunt Scarabei. Generationem, propter eam
quæ dicta eſt cauſſa. Patrem, quoniam à ſolo pa
tre ortum habet Scarabeus. Mũdum, quoniam
ſimilem figuram generationis habet cum mun‑
do. Hominem autem, quoniam in ea ſpecie fœ‑
mina non inuenitur. Sunt autem Scarabeorum
tres formæ. Prima feliforma & lucida, quam ob
ſimilitudinem Soli dicarunt. ferunt enim marem
felem oculorum pupillas variare ad curſum Solis.
Oblongæ enim fiunt mane ad ortum Solis, rotũ‑
dæ deueniunt circa meridiẽ, obſcurantur autem
occidente ſole. Vnde & in vrbe Solis dei ſtatua eſt
feliforma. Et habet Scarabeus digitulos triginta,
ob triginta dies menſis, In quibus Sol oriẽs ſuum
perficit curſum. Secundum genus bicorne & tau‑
riforme eſt, & Lunæ conſecratum: à quo & in cæ‑
lo taurum aſcendentem Lunæ eſſe volunt AEgy‑
ptij. Tertia ſpecies habet vnum cornu tantum, &
propriam formam: quam Mercurio dicatã puta‑
uerunt. Sicut & ibis auis eſſe dicitur.

VVLTVREM SCRIBENTES QVID SIGNIFICENT.

Matrem ſcribentes, aut viſum: aut terminum: aut præcognitionē: aut annum: aut miſericordiā: aut Palladem: aut Iunonem: aut duas dragmas, Vulturem pingunt. Matrem quidem, quoniam in hoc auium genere mas non inuenitur. eorum vero generatio fit hoc modo. Cum vult concipere Vultur, genitale vas ad Boreā aperit: & ſic perſtat diebus quinque, in quibus neque edit, neque bibit. & hoc modo fœtum cōcipit. ſunt & alia genera Vulturum, quæ non ad ventum concipiunt: quorum generatio ouorum ad cibum, non etiam ad fœtum procreandum vtilis eſt. Viſum, quoniam inter cætera animalia acutius proſpicit. in ortu enim Solis ad occaſum reſpiciens, & in occaſu ad ortum, ex longo interuallo proſpicit quod edat. Terminum, quoniam futuro bello, locum terminat ſeptem diebus præueniens. Præcognitionem, ob dictam cauſſam. & quoniam ad eam partem reſpicit, in qua altera pars inferior futura eſt, inhiens occidendorum maiori parti. Vnde ſolebant antiqui reges ſpeculatores mittere, qui renuntiarent, quam in partem verſi reſpicerent Vultures. Annum, quoniam trecentos ſexaginta quinque dies, quibus perficitur annus: diuidit hęc auis hoc modo. Centū & viginti dies in terra manet, nec ſe vnquā humo tollit: pullorum curā gerens, eóſque nutriens. ducētos & quadraginta ſeipſum curat, neque nutriens, neque concipiens.

tantum modo ad aliam conceptionem ſe præparans. quinque reliquos dies, vt dictum, in concipiendo conſumit. Miſericordiam, quod perabſurdum fortaſſe videatur, cũ animalium nulli hoc animal pareat, tamen ob hanc cauſſam ita poſuerunt, quoniam totis diebus centum, quos enutriendis pullis impartitur, ferè nũquam euolat. ac ſi quando cibus, quo fœtus enutriat deſit: ne fame conficiantur vulnerato ſibi fœmore, ſanguinẽ ſugendum præbet. Palladem & Iunonem, quoniam videtur AEgyptijs Pallas quidem ſuperius cæli hemiſperium ſibi vendicaſſe, Iuno vero inferius. Vnde & abſurdum putant cælum maſculino genere notari: cum generatio Solis & Lunæ, & reliquorum ſyderum fœmineo opere perficiatur. Et Vulturum genus, vt dictum eſt, eſt tantum fœmininum. ob quam cauſſam huius ſexus cæteris auibus Vulturem regem adſcribunt: quo quidem Vulture, ne in longum protrahatur ſermo, quancunque deam deſignant. Matrem inſuper ſignificare volentes Vulturem pingunt. eſt enim mater fœminei ſexus. Duas autem dragmas picto Vulture notant, quoniam apud AEgyptios vnitas ſunt duæ dragmæ. Vnitas autem principium eſt omnis numeri. nõ immerito igitur duas dragmas ſignificare volentes Vulturem ſcribunt, cum & mater & principium, quemadmodum vnitas eſſe videatur.

QVID ASTRVM SCRIBENTES, SIGNIFICENT.

Deum ſignificantes, aut fatum, aut quinquenarium numerũ, aſtrum pingunt. Deum quidem, quoniam diuina prouidentia omnis ſtellarum, ac totius mundi motus conficitur. videtur enim ſine Deo nihil penitus poſſe cõſiſtere. Fatum, quoniam conſtat ipſum ex ſtellarum motu. Quinquenarium vero numerũ, quoniam cum ſint plura in cælo aſtra, ex eis quinque ſola mota, totius mundi diſpenſationem conficiunt.

CYNOCEPHALVM SCRIBENTES QVID SIGNIFICENT.

Lunam volentes ſignificare, aut orbem terrarum, aut literas, aut iram, aut natationem, Cynocephalum pingunt. Lunam quidem, quoniam hoc animal varie afficitur ad curſum Lunæ. quando enim Luna Soli iuncta non apparet, tunc mas Cynocephalus neque videt, neque comedit: triſtis eſt autem oculos in terram deiectus, tanquam Lunæ raptum lamentetur. Fœmina vero: præterquã quod nõ videt, & eodem modo quo mas afficitur, fluxũ ſanguinis emittit ex naturalibus. Vnde in ſacris & in hæc vſque tẽpora nutriunt Cynocephalos, vt per eos pateat Solis & Lunæ coniunctio. Orbẽ terrarũ, quoniã dicunt duo & ſeptuaginta eſſe climata mũdi. hos autem diligenter nutritos in ſacris ac curatos nõ mori, quẽadmodum cætera animalia, vno die, verũ ſingulo quoque die

partem earum defunctam ſepeliri à ſacerdotibus, reliquo corpore adhuc priſtinam naturam retinẽte. & ſic deinceps fieri vſque ad ſecũdum ſupra ſeptuageſimum diem, & tunc denique totum mori. Literas, quoniam innatæ ſunt literæ Cynocephalis apud AEgyptios. Vnde cum primum aduectus eſt in templum, Cynocephalus apponit ei ſacerdos tabellam, ſtilum ac atramentum: periculũ faciens an ſit ex genere à literis non abhorrente, & inſcribit. Iram, quoniã animal hoc ſupra cætera animalia iracundum eſt. Natationem vero, quoniam reliqua animalia, ſi natationem frequentẽt, ſordida ac ſqualida fiunt: ſolus Cynocephalus quo vult enatat, nullis vnquã fœdatus ſordibus.

QVOMODO NOVAM LVNAM SIGNIFICENT.

Nouam Lunam ſcribere volentes, iterum Cynocephalum pingunt, ſtantem, & pedes anteriores in cælum tollentem: habentémque regale ſignum in capite. hac figura ſcribũt Cynocephalũ, cũ noua Luna apparet, tãquam deo gratias agat, quòd Luna præteruecta Solem, luceat & ipſa, nec lumen Solis impediat.

QVOMODO AEQVINOCTIA SIGNIFICENT.

AEquinoctia, quæ bis in anno contingunt, ſignificare volentes, Cynocephalum ſedentem pingunt. hic enim tempore æquinoctij per ſingulam

horam duodecies in die mingit, hoc idem facit & noctu. Qua ex re non ſine ratione in hydrologijs Cynocephalum ſculpũt AEgyptij, & ex membro faciũt aquam defluere. quoniam, vt antè dictum eſt, duodecim horas mingendo ſignificat: ne autẽ foramen per quod exit aqua in horologiũ, latius ſit aut anguſtius (vtrunque enim rationem horarum impediret) extrema ipſius depilata cauda ad huius craſſitudinem, ferreã fiſtulam in hunc vſum parant. atque hoc placuit eis ſic facere non ſine ratione, quemadmodum nec in alijs rebus. & quia etiã in æquinoctijs ſolus ex omnibus animalibus duodecies latrat in die per ſingulas horas.

QVOMODO ANIMVM, IRAM, AVT FVROREM SIGNIFICENT.

Animum, Iram, aut Furorẽ ſignificare volentes, Leonem pingũt. caput magnũ habet hoc animal, & oculorum pupillas ignitas. corpus rotundum, & pilos radijs ſimiles ad imitationem Solis. Vnde & ſub ſolio Solis Leonem pingunt, demonſtrantes ipſius ad Solem ſimilitudinem.

QVOMODO FORTITVDINEM.

Fortitudinem ſignificantes, Leonis anterioris partes deſcribũt, eo quòd hæc membra latiora habeat reliquo corpore.

QVOMODO VIGILANTEM.

Vigilãtem aut cuſtodẽ ſcribentes, caput Leo-

nis pingunt. quoniam Leo, cum vigilat, habet oculos clauſos. cum verò dormit, tenet reſeratos: quod quidem vigiliæ ſignum eſt. Vnde non immerito ad ſacrorum clauſtra apponunt Leones tanquam cuſtodes.

QVOMODO FORMIDOLOSVM HOMINEM.

Formidoloſum ſignificantes, eodem vtũtur ſigno: cum ſit hoc animal inter cætera fortiſſimum, omnibus occurrens timorem incutit.

QVOMODO NILI INVNDATIONEM.

Nili inundationes ſignificantes (vocãt autem Nilum Num, quod lingua noſtra idem eſt quod nouum) aliquando Leonem pingunt, aliquando tres hydrias. Leonem quidem, quoniam cũ Sol intrat Leonem, maximas inũdationes facit. Tres vero hydrias & neque plures, neque pauciores, quoniam triplex cauſſa inundationis aſſignatur. Vna quidem ipſa AEgyptia terra, quæ aquam ex ſe generat. altera oceanum. refluit enim oceanum inundationis tempore per Nilum. Tertia cauſſa ſunt Imbres, qui plurimi ſunt per tempus inundationis ad partes Auſtrales AEthiopiæ. Quòd autem AEgyptus aquam generet, poteſt hoc modo cognoſci: in cæteris enim climatibus mundi inundationes fiunt hiemali tẽpore ob continuos & immodicos imbres, ſola autem AEgyptus media in orbe terrarum, quemadmodum in oculo pupilla, æſtate gignit ſibi Nili inundationes.

QVOMODO AEGYPTVM SCRIBVNT.

AEgyptum ſcribentes, acerram ardentem pingunt, & deſuper cor, indicantes quòd quemadmodũ cor Zelotypi cõtinue vritur, ſic & AEgyptus ob caliditatem continue, quæ illic ſunt animalia, procreat.

QVOMODO HOMINEM NON PEREGRE PROFICISCENTEM.

Hominem non peregre proficiſcentem ſignificantes caput Aſini pingũt: quoniam neque hiſtorias audit, neque eos qui peregrinati ſunt, ſentit.

QVOMODO TVTELAM.

Tutelam ſcribẽtes, duo hominum capita pingunt, maris vnum intro aſpiciens, alterum fœminæ, extra. ſic enim dicunt nullum dæmonem poſſe inuadere, quoniam & ſine literis, duobus capitibus ſeipſos cuſtodiunt.

QVOMODO EMBRIONEM, ID EST, IMPERFECTVM HOMINEM.

Embrionem ſignificantes, Ranam pingunt, quoniam huius generatio ex fluminis limo perficitur. Vnde eſt videre interdum ſemiperfectam Ranam ex parte quidem animal, ex alia vero parte terreſtre quiddam: ita vt flumine deficiẽte, deficiat & ipſa.

QVOMODO ORATIONEM.

Orationem ſcribentes linguam pingũt, & vulneratum oculum: primas partes ſermonis linguæ dantes, ſecundas oculis. ſic enim perfectæ animæ oratio conſiſtit cum ad ipſius motum conformatur. Aliter orationem ſignificantes linguam pingunt, & ſubter manum: orationis primas attribuere viſi linguæ, ſecũdas vero manui, tanquam linguæ volita perficienti.

QVOMODO TACITVRNITATEM.

Taciturnitatem ſignificantes, numerum ſcribunt, M.LXXXXV. qui numerus eſt annorũ triũ, conſtituto anno ex diebus CCCLXV. Intra quod tempus cum non loquatur infans, ſignificatur, & ſi linguam habuerit, illi tamen vocem defuiſſe.

QVOMODO PATENS QVID.

Patẽs quid ſignificare volẽtes, Léporẽ pingũt: habet enim oculos hoc animal ſemper apertos.

QVOMODO VOCEM REMOTAM.

Vocem remotã ſignificare volentes, quæ apud AEgyptios vocatur væe, vocem aeris ſcribunt, id eſt, tonitruum: quo neque grauius quicquam ſonat, neque vehementius.

QVOMODO VOLVPTATEM.

Voluptatem ſignificãtes XVI numerum ſcribunt. hinc enim incipiunt homines Veneri indul

gere & generare.

QVOMODO COITVM.

Coitum ſignificantes numerum XVI ſcribũt geminatum. quia enim filij ſunt ex voluptatibus, coitus vero ex geminis voluptatibus maris ſcilicet & fœminæ, propter hoc ſecundum numerum XVI adiungunt.

QVOMODO ANTIQVAM STIRPEM.

Antiquam ſtirpem ſignificare volentes, papyrorum faſciculum pingunt. per hoc ſignificantes primos cibos. cibi enim aut nationis nullus principium inuenerit.

QVOMODO GVSTVM.

Guſtum ſignificare volẽtes gutturis principiũ pingunt: omnis enim guſtus ad hoc vſque ſeruatur. dico autem perfectũ guſtum. Guſtũ vero imperfectum cum volunt ſignificare, linguã in dentibus pingunt. his enim omnis guſtus perficitur.

QVOMODO ANIMAM DIV IN VITA DVRANTEM.

Animam diu durantem, aut inundationẽ ſcribere volentes, Phœnicem auem pingunt. Animam quidem, quoniam præ cæteris animalibus longiſſima eſt huic vita. Inundationem vero, quoniam ſignũ eſt Solis Phœnix: quo nihil in toto mundo maius eſt: ad omnes enim aſcendit, omnes perſcrutatur Sol.

QVOMODO EVM QVI SERO À PEREGRINATIONE REDEAT.

Eum qui ſero à peregrinatione redeat cũ ſcribere volunt, rurſus Phœnicem auem pingũt. hæc enim poſt quingenteſimum annum, cum iam eſt morti propinqua, in AEgyptum remeat, ac ſi præueniat ante obitũ curatur myſtice ab AEgyptijs, & quæcunque alijs ſacris animalibus tribuunt, hæc & Phœnici omnia debentur. gaudet enim Sole maxime Phœnix, in AEgypto præcipue, vtpote illic vehementi. Vnde & illius calore dicũt inundare Nilum.

QVOMODO COR.

Cor cum volunt indicare, Ibidem pingũt. eſt enim hoc animal Mercurio dicatum, omnis cordis & rationis domino. & Ibis ipſa maius quàm pro magnitudine corporis cor habet. de qua ſermo eſt plurimus apud AEgyptios.

QVOMODO PERITIAM.

Peritiam indicãtes cælũ pingunt rore pluẽs, quoniam quemadmodum ros in omneis plantas decidens mollit eas, quæ habent huiuſcemodi naturam, vt molliri queant, alias vero nequaquàm, quæ ſuapte natura duræ ſunt. ſic & peritia omnibus hominibus ſe præbet: ac eam ingenioſi tanquam rorem imbibunt, obtuſi vero hoc facere nõ poſſunt.

QVOMODO AEGYPTIACAS LITERAS.

AEgyptiacas literas ſcribẽtes, aut ſacrum ſcriptorem, aut finem, atramentum & cribrum & iũcum pingunt. Literas quidem, eo quia omnia apud AEgyptios ſcripta his perficiuntur. Iunco enim ſcribunt, non alia re. Appingunt autem cribrum, quoniam hoc primum inſtrumentum ad conficiendum panem ex iunco fit. Indicant enim omnem qui victum habeat, literis operam daturum. qui vero nõ habeat, diuerſæ arti vacaturum. Vnde apud ipſos peritia Sbo vocatur, quod interpretatur cibi plenum. Sacerdotem, ſiue ſacrum ſcriptorẽ, quoniam hic necem & vitam dijudicat. eſt enim apud ſacerdotes liber, qui vocatur ſacra ambris. per quem indicãt de ægroto, victurus ſit an moriturus. Finem autẽ, quoniam qui literas didicit, tranquillum vitæ curſum aſſecutus eſt, liberatus omnibus humanæ vitæ calamitatibus.

QVOMODO ITERVM SACRVM SCRIBAM.

Scribam iterum ſignificare volentes, aut Prophetam, aut ſplenem, aut odoratum, aut riſum, aut ſternutationem, canem pingunt. Scribam quidem, quoniam eum qui debeat eſſe perfectus ſcriba, oportet multa meditari, adlatrare omnes quodammodo, agreſtem eſſe, nemini gratificari: quemadmodum nec canes. Prophetam, quo-

niam præ cæteris animalibus admiratur canis, & obtutu firmo intuetur ſimulacra deorum, quemadmodum Prophetam. Splenem, quoniam leuiſſimum ſplenem canis habet. & ex eo mors eſt illi & rabies aliquando. Et miniſtri canem curantes, cũ eſt moriturus, vt plurimum ſplenetici fiũt. Odoratum vero, riſum & ſternutationem, quoniã qui planè ſunt ſplenetici, neque odorare, neque ridere, neque ſternutare poſſunt.

QVOMODO HOMINEM QVI SIT MAGISTRATVS.

Magiſtratum ſcribentes, iterum canem pingunt. cui addunt regiam ſtolam nudæ figuræ appoſitam. quoniam quemadmodum canis, vt antè dictum eſt, in deorum ſimulacra intentis oculis proſpicit: ſic & magiſtratus antiquis temporibus in nudum regem proſpiciebant. cuius gratia vendicant ſibi regiam ſtolam.

QVOMODO SACRVM PALLIVM FERENTEM.

Sacrum pallium ferentem cum volunt ſignificare, domus cuſtodẽ pingũt, eo quòd cuſtodiatur ab illo palliũ, quemadmodum à cuſtode domus.

QVOMODO HOROSCOPVM, ID EST, EVM QVI COMPVTAT HORAS.

Horoſcopum ſignificare volentes, hominem

pingũt, horas comedentẽ: non quòd horas comedat homo, hoc enim impoſſibile eſt: ſed quòd in horas homines cibum parent.

QVOMODO IGNORANTIAM.

Ignorantiã ſcribẽtes ignẽ & aquam pingũt, eo quòd his duobus elementis omnis corruptio fiat.

QVOMODO SCELESTVM HOMINEM, AVT ODIVM.

Sceleſtum autem & odium ſignificantes, piſcẽ pingunt, eo quòd huius vſus execretur & interdicatur in ſacris. deſtruit enim quodcunque reperit omnis piſcis, nec ſuò quidem generi parcit.

QVOMODO OS.

Os ſcribentes Anguem pingũt. Anguis enim nullo alio membro pollet præterquam ore.

QVOMODO VIRVM FORTEM ET TEMPERATVM.

Virum fortem eundémque temperatum ſignificare volentes, taurum integræ valetudinis pingunt: habet enim hoc animal membrum calidiſſimum, adeò vt vaccæ iunctus ſine vllo motu ſemẽ emittat. Quòd ſi quando à naturali loco deuiet, & in aliam corporis partem membrum intẽdat, vulnerat vaccam præpotenti illius intenſione. ſed & temperans eſt. nam poſt conceptum vaccæ nũquam cum illa coit.

QVOMODO AVDITVM.

Auditum ſcribentes, tauri auriculam pingũt. bos enim poſtquam concipere appetit(appetit autem non longiori tempore quàm tribus horis)tũc mugit quammaxime poteſt. in quibus ſi non taurus adcurrat, naturam claudit vſque ad aliud determinatum tempus. hoc autem raro accidit. audit enim taurus etiam ſi longius abſit: & intelligens eam appetere accurrit ad coitum, faciẽs hoc ſolus ex cæteris animalibus.

QVOMODO FOECVNDVM PENEM.

Penem fœcundum ſignificantes hircum pingunt: nõ autem taurum. nam hic poſt annum integrum tantum coire incipit. Hircus verò poſt ſeptimum diem ab ortu coit. & quanquam inualidum & ſterile ſemen emittit, coit tamen citius cæteris animalibus

QVOMODO PECCATVM.

Peccatum ſignificantes, Orygem animal pingunt. quoniam apparente Luna, ſi ad eam reſpiciat clangorem emittit, neque adorans eam, neque benedicens. huius autem rei ſignum maniſeſtiſſimum eſt. prioribus enim pedibus effodiens terram, caput abſcondit, tanquam ægre ferat, ac nolit aſpicere Lunæ ortum. hoc idem facit oriẽte Sole. Quamobrem antiqui reges horoſcopo ortũ

ſibi nuntiante, animali huic aſſidentes, per hoc medium tanquam gnomonem quendam exacte de ortu perquirebant. Et ſacerdotes hunc ſolum ex volatilibus comedunt: quoniam inimicitiam quãdam in deam exercere videtur. nam ſi in ſolitudine aliqua nactus ſit fontem, poſtquàm biberit aquam turbat, ac puluerem, aut lutum pedibus immittit. Et hoc facit ea de cauſſa, vt inutilis fiat aqua cæteris animalibus. adeo ſceleſta & odioſa putatur Orygis natura. hoc enim impie facit, cum ipſa dea omnia generet, omnia nobis quæ toto mundo vtilia adaugeat.

QVOMODO INTERITVM.

Interitum ſignificantes Murem pingunt. hic enim omnia deguſtãs coinquinat, ac inutilia reddit. eodem ſigno vtuntur, cum iudicium ſignificare volunt. pane enim multo ac diuerſi generis ſimul poſito, optimũ quenque ſeligens comedit. Vnde & optimi panis iudicium in Muribus eſſe putatur.

QVOMODO IMPVDENTIAM.

Impudentiam ſignificãtes, Muſcam pingunt. ea nanque abacta continue nihilominus redit.

QVOMODO NOTITIAM.

Notitiam cum volunt ſignificare, Formicam pingũt. nouit enim hæc tutas ſibi parare latebras

ad hæc, præter morem cæterorum animalium in hyemem ſibi cibum parans non deuiat à ſuis latebris, verum rectà ad ipſas pergit.

QVOMODO FILIVM.

Filium ſcribere volentes, Chinalopiã pingunt. eſt enim hoc animal maxime pullorum amans. Et ſi quãdo inſequatur ſe venator, & vnà pullos, ſponte venatoris præda fit, ſi modo poſſit ſic faciens ſeruare pullos. quam ob cauſſam viſum eſt AEgyptijs id animal filio comparare.

QVOMODO DEMENTEM.

Pelicanum auem marinam pingentes, dementem ſignificant. hæc enim auis cum poſſit in altioribus locis, quemadmodum cætera volatilia, deponere, hoc non facit: verum humo defoſſa in ſcrobe oua parit. Quod ſcientes aucupes locum bouis ſtercore circumlinunt, ac ignẽ ſupponunt. Pelicanus autẽ viſo fumo, volens ſuis alis ignem extinguere, non modo non extinguit, ſed potius illarum ventilatione exſuſcitat. Vnde combuſtis alis, facile fit aucupum præda. quam ob rem cum filiorũ cauſſa periclitetur, nefas eſt ſacerdotes veſci Pelicano. Ex AEgyptijs tamẽ multi comedũt, putantes illum non iudicio, verũ natura & in filios pietate ſubire diſcrimen.

QVOMODO GRATITVDINEM.

Gratitudinẽ ſcribentes, Cucupham auem pin-

gunt. ſola enim hæc cæterorum animalium parẽ-tibus iam ſenio cõfectis gratiam refert. in quo e-nim loco ab eis nutrita eſt, in eo loco nidum illis cõficit, ac pennas vellit, cibúmque ſufficit, quouſ-que renatis pennis per ſe ipſos iam parentes ci-bũ parare poſſunt: vnde diuina ſceptra Cucupha inſigniunt.

QVOMODO INIVSTVM ET INGRATVM.

Iniuſtũ & ingratum ſignificantes, vngues ge-minos Hippopotami curuatos pingũt. hic enim cum adoleuerit, periculũ facit, an iam patre for-tior euaſerit. & ſi quidem pater cedit, locum illi impartitur ac permittit viuere. pro patre vero ma tris connubia appetit. ſi vero non aſſentiatur pa-ter eum coire cum matre, interimit ipſe patrem, iam ſuperior viribus. ſic enim ſcribunt geminos Hippopotami vngues curuatos admodum: quod cum homines vident, & qua ratione id facit co-gnoſcunt, proniores fiunt ad beneficia cõferẽda.

QVOMODO ITERVM INGRATOS ER-GA PROMERITOS.

Ingratos erga promeritos ſignificantes, colũ-bam pingũt. mas enim valentior factus, patrem ſuum expellit, ac ipſe cũ matre coit. purũ autem hoc animal eſſe videtur. etenim orta peſtę, & hac infectis omnibus ſoli colũbas edentes illæſi per-durant. quam ob cauſſam tali tẽpore nihil aliud regi in prandio præter columbas apponunt. hoc

idem contingere dicunt deorum miniſtris. ſcribitur etiam bilem hoc animal non habere.

QVOMODO IMPOSSIBILE.

Rem quæ fieri nequeat ſignificantes, hominis pedes ſcribunt deambulantes in aqua. Aliter, hominem deambulantem ſine capite. impoſſibile vtrunque. vnde non abſque ratione id in eum vſum aſſumunt.

QVOMODO REGEM PESSIMVM.

Regem peſſimum ſignificantes Anguem pingunt ad mundi figuram. cuius extremam caudã ori coniungunt. nomen vero regis ponũt in media plicatione: putantes per id intelligi dare regem totius dominum. nomen autem Anguis eſt apud AEgyptios Meſi.

QVOMODO REGEM CVSTODEM.

Aliter regem cuſtodem ſignificantes Anguẽ quidem pingunt vigilantem. verum pro regis nomine cuſtodem ponũt. hic enim cuſtos eſt totius mundi. oportet autem regem præcipue eſſe vigilantem.

QVOMODO REGEM VICTOREM.

Regem mundi domitorem ſignificantes, adhuc Anguem pingunt: & in medio ipſius maximam domum.

QVOMODO POPVLVM REGI OBSEQVENTEM.

Populum regi obſequentē ſignificantes, Apes pingunt . ſolum enim hoc ex animalibus regem habet, quem reliqua apium multitudo conſequitur, ac illi paret, quemadmodum regi homines.

QVOMODO REGEM IN PARTE DOMINANTEM.

Regem nō totius dominum, verum in parte dominantem ſignificare volentes , dimidiatum ſerpentem pingunt. per animal regem ſignificantes. Quòd vero dimidiatum pinxerint, nō totius imperatorem intelligi dant.

QVOMODO OMNIVM VICTOREM.

Omnium victorem cum volũt ſignificare, adhuc integrum ſerpentem pingunt.

QVOMODO FVLLONEM.

Fullonem ſcribentes, geminos hominis pedes in aqua pingũt. hoc enim à Mercurij ſimilitudine indicant.

QVOMODO RAPACEM AVT FOECVNDVM, AVT INSANVM.

Rapacem, aut fœcundum, aut inſanum ſignificare volētes Crocodilum pingunt. eſt enim fœcundum animal Crocodilus . & ſi quando à petita rapina prohibeatur , in ſeipſum iratus furit.

QVOMODO ORTVM.

Ortum ſignificantes geminos oculos Crocodili pingunt. huius enim oculi maxime lucent.

QVOMODO OCCASVM.

Occaſum indicantes, Crocodilum inclinatum pingunt. eſt enim hoc animal rotundum, & promiſcue parit.

QVOMODO ADVMBRANT TENEBRAS.

Tenebras indicantes caudam Crocodili pingunt. nō enim prius vincit, & ad internitionē redigit animal quod petit, quàm cauda verberatū impotēs reddiderit. in hoc enim præcipue membro eſt fortitudo Crocodilo. cum ſint autem alia ſigna in Crocodili natura, hæc in primo libro dicta ſufficiant.

ORI APOLLINIS NILIACI DE NOTIS HIEROGLYPHICIS LIBER SECVNDVS, BERNARDINO TREBATIO VICENTINO INTERPRETE.

IN ſecundo tractatu reliquorũ tibi veram rationẽ tradam. quæ autem nec in alijs exemplaribus vllam habent rationem, ea primum ſubiunxi.

QVID SIGNIFICENT CVM STELLAM SCRIBVNT.

Stellam ſcribentes aliquãdo deum ſignificant: aliquando noctem, aliquando tempus, aliquando animam hominis maſculi.

QVID CVM PEDES HOMINIS PARES ET FIRMATOS.

Hominis pedes pares & firmati Solis curſum ſignificant in hyemali tropico.

QVID CVM HOMINIS COR GVTTVRI APPENSVM.

Cor hominis gutturi appẽſum, boni viri buccam deſignat.

QVID, CVM DIGITVM SCRIBVNT.

Hominis ſtomachum ſignificat digitus.

QVID CVM PENEM MANV COMPRESSVM?

Penis manu compreſſus, hominis temperantiam ſignificat.

QVOMODO MORBVM SIGNIFICANT.

Papaueris flores hominis morbum ſignificant.

QVOMODO ILE HOMINIS.

Ile hominis cũ volunt ſignificare, os pingunt, quod ſpinam dicunt. putant enim aliqui, ſperma inde ferri.

QVOMODO FIRMITVDINEM ET SECVRITATEM.

Conturnicis os pictum, firmitudinem & ſecuritatem ſignificat. etenim non temere patitur huius animalis os.

QVOMODO CONCORDIAM.

Duo homines inſignia magiſtratus induti, concordiam ſignificant.

QVOMODO TVRBATIONEM.

Armatus vir, & ſagittans, turbationem ſignificat.

QVOMODO COMMENSVRATIONEM.

Hominis digitus, commenſurationem notat.

QVOMODO DESPONSATAM MVLIEREM.

Corpus ſolare bipartitum cum aſtro, deſponſatam mulierem deſignat.

QVOMODO VENTOS.

Eleuata Aquila in ortum tendens, ventos ſignificat. Aliter, in aere Aquila alas extēdēs, ventos notat.

QVOMODO IGNEM.

Fumus in cœlum aſcendens, ignem deſignat.

QVOMODO OPVS.

Maris cornu pictum, opus ſignificat.

QVOMODO VLTIONEM.

Fœminæ vero cornu pictum, vltionem ſignificat.

QVOMODO IMPIVM.

Imago dimidiata tantum vmbilicotenus hominem oſtendens, cum gladio, impium ſignificat.

QVOMODO VER.

Equus fluuialis, Ver ſignificat.

QVOMODO LONGAEVVM.

Longæuum ſignificantes, Ceruum pingunt. ſingulo quoque anno cornua germinat ceruus.

QVOMODO AVERSIONEM.

Lepus aut canis auerſus, auerſionem ſignificant.

QVOMODO CAEDEM AVT SANGVINEM.

Crocodili veſpa volans, Crocodili nociuũ ſanguinem ſignificat, aut cædem,

QVOMODO MORTEM.

Nycticorax mortem ſignificat. noctu enim de improuiſo aggreditur pullos, quemadmodũ de improuiſo mors ſuperuenit.

QVOMODO AMOREM.

Laqueus amorem ſignificat.

QVOMODO ANTIQVISSIMVM.

Orationes, follia, & ſignatus liber, antiquiſſimum deſignat.

QVOMODO OBSIDIONEM.

Scala, obſidionem ſignificat ob accliuitatem.

QVOMODO RVDEM, AVT MVSAM, AVT PARCAM.

Septem elementa in duobus digitis contenta, muſam, aut rudem, aut parcam ſignificant.

QVID LINEA LINEAE SVPERIMPOSITA SIGNIFICET.

Linea lineæ ſuperimpoſita, lineas decem planas ſignificat.

QVID SIGNIFICENT HIRVNDINEM PINGENTES.

Patrimonium magnum relictum filijs ſignificare volentes, hirundinē pingunt. hæc enim moritura ſeipſam in luto peruoluit, ac pullis latebras parat.

QVID SIGNIFICET COLVMBA NIGRA.

Mulierem viduam, & ſic permanentem vſque ad mortem cum volūt ſignificare, columbam nigram pingūt. hæc enim poſt maris interitū ſemper ſola degit.

QVID SIGNIFICET ICHNEVMON.

Virum debilem, & qui aliorum auxilio egeat, ſignificare volentes, Ichneumonem pingunt. hic hic enim ſi anguem inimicum videat, non ſtatim aggreditur, ſed prius vocatis alijs ex ſua ſpecie, ſic firmior præſidio, angui fit obuiam.

QVID SIGNIFICENT ORIGANO.

Formicarum defectum cum volunt ſignificare, origanun pingunt. abeunt enim formicæ herba hac poſita in loco quâ tranſeunt.

QVID SCORPIONE ET CROCODILO.

Inimicum inimico cõgreſſum ſignificare volentes,ſcorpionem & crocodilũ pingunt.hi enim mutuo ſe interimunt.ſi autem alterum victorem ſignificent,qui videlicet inimicum ſuum ſuſtulerit,crocodilum pingũt,aut ſcorpionem.& ſi quidem eum qui propere occiderit:crocodilum pingunt.ſi vero eum qui tarde:ſcorpionem.eſt enim tardi inceſſus ſcorpio.

QVID MVSTELA SIGNIFICENT.

Mulierem viraginem cum volũt ſignificare, muſtelam pingunt.hæc enim habet maris teſticulum tanquam oſſiculum

QVID PORCO.

Hominem pernicioſum cum volunt ſignificare,porcum pingunt. talis eſt enim porci natura.

QVOMODO IRAM IMMENSAM.

Iram immenſam adeo vt irato febrem incutiat volentes ſignificare,leonem pingunt catulos ſuos cauda flagellantem. & leonem quidem, ob iram:catulos vero flagellatos, quoniam horũ oſſa inter ſe colliſa,ignem emittunt.

QVOMODO SENEM MVSICVM.

Muſicum ſenem cum volunt ſignificare, cygnũ pingunt.hic enim ſeneſcẽs canit quàm ſuauiſſime.

QVOMODO VIRVM COEVNTEM CVM VXORE.

Virum coeuntem cum vxore cum volunt ſignificare, geminas cornices pingunt: hæ enim coeunt eodem modo quo homines.

QVID SIGNIFICENT CANTHARVM CAECVM SCRIBENTES.

Hominem qui ſolis ardore valetudinem contraxerit, & ob eam cauſſam deceſſerit, cum volũt ſignificare, cantharum cæcum pingunt. hic enim radijs ſolaribus obcæcatus deficit.

QVID MVLA SIGNIFICENT.

Mulierem ſterilem cum volũt ſignificare, mulam pingunt. hæc enim ideo eſt ſterilis, quia matricem habet obliquam.

QVOMODO MVLIEREM SIGNIFICENT, QVAE INFANTEM FOEMINAM PEPERERIT.

Mulierem quæ infantem fœminam pepererit ſignificare volentes, taurum pingunt in ſiniſtrã partem reſpicientem. ſi vero marem, taurum iterum pingunt ad dextram conuerſum. Taurus enim poſt coitum ſi ad ſiniſtram deſcendat, fœminam generaſſe creditur: ſi vero ad dextrã, marẽ.

QVOMODO VESPAS SIGNIFICENT.

Veſpas cum volunt ſignificare, equi cadauer

pingunt. ex huiuſmodi enim cadauere plurimæ veſpæ generantur.

QVOMODO MVLIEREM QVAE ABORTIVVM FECERIT.

Mulierem quæ abortiuum fecerit cum volũt ſignificare, equam ſcribunt quæ lupum preſſerit. Equa enim abortiuum facit non modo ſi lupum calcauerit, ſed etiam ſi ipſius veſtigia attigerit.

QVOMODO HOMINEM SEIPSVM CVRANTEM EX ORACVLI RESPONSO.

Hominem ex oraculi reſponſo ſeipſum curantem cum volunt ſignificare, picam pingunt lauri folium ore tenentem. hæc enim cum ægrota eſt, lauri folium in nidum immittit, & ita conualeſcit.

QVOMODO MVLTOS CVLICES.

Multos culices prouenientes cum volunt ſignificare, vermes pingunt. ex his enim generantur culices.

QVOMODO HOMINEM NON HABENTEM PER SE BILEM, SED AB ALIO COMMOTVM.

Hominem non habentem naturaliter bilem, verum ab alio commotum cum volunt ſignificare, columbam pingunt arrecta poſteriora haben-

tem. in illis enim bilem habet.

QVOMODO HOMINEM TVTE VRBEM HABITANTEM.

Hominem tute vrbem habitantem ſignificare volentes, aquilam lapidem portantem pingunt. illa enim lapidem vnguibus eleuatum portat in ſuum nidum, vt illo depreſſus nidus firmiter maneat.

QVOMODO HOMINEM DEBILEM QVI ALIO INSEQVENTE AVFVGIAT.

Hominem viribus imbecillem, qui inſequentem aufugiat ſignificare volentes, otidem auem & equum pingunt. euolat enim illa viſo equo.

QVOMODO HOMINEM AD PROPRIVM PATRONVM CONFVGIENTEM, NEQVE ADIVTVM.

Hominem ad proprium patronum cõfugientem, neque adiutum cum volunt ſignificare, paſſerem & noctuã pingunt. paſſer enim aucupem fugiẽs, ad noctuam procurrit. apud quam æque tamen laborat.

QVOMODO HOMINEM DEBILEM, AVFVGIENTEM TAMEN.

Hominem imbecillem aufugiẽtem tamẽ cum

volunt ſignificare, veſpertilionẽ pingunt. veſpertilio enim quamuis non habeat pennas, euolat tamen.

QVOMODO MVLIEREM LACTANTEM ET BENE NVTRIENTEM.

Mulierem lactantem & bene nutriẽtem ſignificare volentes, tůrturem pingũt. ea enim ex volatilibus ſola dentes & mammas habet.

QVOMODO HOMINEM SALTATIONE GAVDENTEM.

Hominẽ ſaltatione gaudentem & tibijs cũ volunt ſignificare, turturem pingunt. capitur enim hæc ad tibias & ſaltationem.

QVOMODO HOMINEM MYSTICVM

Hominem myſticum ſignificare volentes, cicadam pingunt. hæc enim non ex ore obſtrepit, verum per ſcapulas ſonum emittens ædit dulce carmen.

QVOMODO REGEM SOLITARIVM NEQVE ERRATA MISERANTEM.

Regem ſolitarium & qui lapſis nulla errata condonet cum volũt ſignificare, aquilã pingunt. hæc enim in locis ſolitarijs nidũ habet, & altius quàm cætera volatilia volat.

QVOMODO INSTAVRATIONEM DIVTVRNAM.

Inſtaurationem diuturnam ſignificare volentes, phœnicem auem pingunt. quando enim hæc naſcitur, inſtauratio fit rerum. naſcitur autem hoc modo. cum moritura eſt phœnix, proijcit ſeipſam ad terram. & ex proiectionis impetu, vulnus accipit. ac ex cruore de illo vulnere naſcitur alia phœnix. hæc autem poſtquam pennæ cõcreuerint, vnà cum matre in Solis vrbem, quæ vrbs eſt in AEgypto, proficiſcitur. illic autẽ mater moritur ſtatim ad ortum Solis. poſt cuius interitum redit pullus in propriam patriam, vnde digreſſi fuerãt. Sacerdotes autem AEgypti defunctam ſepeliunt.

QVOMODO PARENTIS AMATOREM.

Parentis amatorem ſignificare volentes, ciconiã pingunt. hæc enim à parentibus enutrita non ſeparatur ab illis, verum ad vltimam vſque ſenectutem permanens parentibus victum ſufficit.

QVOMODO MVLIEREM QVAE VIRVM ODERIT.

Mulierem quæ virum oderit, ac inſidias illius vitæ tendat, & in coitu tantum adulantem cũ volunt demonſtrare, viperam pingunt. ipſa enim in coitu mari iuncta os in os inſerit. poſt coitum vero interimit, illius caput morſu amputans.

QVOMODO FILIOS MATRI INSIDIANTES.

Filios matri inſidiantes cum volunt ſignificare, viperam pingunt. hæc enim nõ ex naturali loco quemadmodum cætera animalia, verum parẽtis vtero rupto, ſic in lucem prodit.

QVOMODO HOMINEM IN ACCVSATIONE CONVITIIS CONFECTVM AC LANGVENTEM.

Hominem in accuſatione conuitijs affectũ ac languentem ſignificare volentes, baſilicum pingunt. ille enim vicinos ſibi ſerpẽtes ſolo ſibilo interimit.

QVOMODO HOMINEM IGNE COMBVSTVM.

Hominem igne combuſtum ſignificare volentes, ſalamandram pingunt. ipſa enim vtroque capite interimit.

QVOMODO HOMINEM CAECVM.

Hominem cæcum ſignificare volentes, talpam pingunt. hæc enim neque oculos habet, neque aliter videt.

QVOMODO HOMINEM EXTRA DOMVM SE CONTINENTEM.

Hominem extra domum ſe continentem cũ

volunt ſignificare, formicam & pennam veſper-tilionis pingũt. huius enim alis ad nidum reper-tis, formica non ingreditur.

QVOMODO HOMINEM SIBIIPSI DAMNA DANTEM.

Hominem ſibijpſi damna inferentem cum vo lunt indicare, caſtorem pingunt. hic enim vena-toribus inſequentibus teſticulos ſuos demordẽs, abiectos relinquit.

QVOMODO PATREM QVI INVI-TVS FILIO HAEREDITA-TEM RELIQVERIT.

Patrem qui inuiſo filio hæreditatem reliqué-rit ſignificare volentes, ſimiam cum alia parua ſi-mia inſequenti pingunt. parit enim ſimia gemi-nos. ex quibus vnum diligit admodum, alterum vero odit. quem igitur amat, ore geſtans interi-mit. quem vero odit, poſt ſe habet, ac illum reli-quum nutrit.

QVOMODO HOMINEM SVVM DE-DECVS OCCVLTANTEM.

Hominem ſuum dedecus occultantem cũ vo lunt ſignificare, ſimiam pingunt. hæc enim cum vrinat, vrinam ſuam occulit.

QVOMODO HOMINEM ACV-TI AVDITVS.

Hominem acuti auditus ſignificare volentes,

capram pingũt. hæc enim & auribus, & quadam parte gutturis audit.

QVOMODO INSTABILEM.

Inſtabilẽ aliquem, neque in eodem ſtatu permanentem, verum modo fortem & audacem, modo imbecillum & timidum, cum volunt ſignificare, hyænam ſerpentem pingunt. hæc enim modo mas, modo fœmina fit.

QVOMODO SVPERIOREM AB INFERIORE VICTVM.

Superiorem ab inferiore victum ſignificare volentes, duas pelles pingunt: hyænæ vnam, alterã pardi. hæ enim pelles ſi ſimul ponãtur, pardi quidem pilos abijcit, hyænæ vero, non.

QVOMODO HOMINEM QVI INIMICVM SVVM VICERIT.

Hominem qui inimicum ſuum vicerit ſignificare volentes, hyænam ad dextrã conuerſam pingunt. victum autem indicãtes, rurſus hyænam ad ſiniſtram conuerſam pingunt. ipſa enim inimico inſequente, ſi ad dextram partem ſe conuertat, interimit inimicum. ſi vero ad ſiniſtram, interimitur ipſa.

QVOMODO HOMINEM INIECTAS SIBI DIFFICVLTATES INTREPIDE FERENTEM.

Hominem iniectas ſibi difficultates ad mor-

tem vſque intrepide ferētem ſignificare volentes, hyænæ pellem pingunt. ſi quis enim hyænæ pelle ſuccinctus, medios feratur in hoſtes, à nullo læditur, & intrepide præterit.

QVOMODO HOMINEM INIMICVM SVVM PRAEVENIENTEM.

Hominem inimicum ſuum præuenientem, ac minimo damno ſe à periculis eximentem cum volunt ſignificare, lupum pingunt extrema amputata cauda. hic enim cū iam ſit à venatoribus indagandus, pilos abijcit, & extremum caudæ.

QVOMODO HOMINEM PERICVLA EX OCCVLTO TIMENTEM.

Hominem ex occulto pericula timentem ſignificare volentes, lupum & lapidem pingunt. lupus enim neque ferrum timet, neque haſtam, ſed tantum lapidem. denique ſi quis lapidem proijciat, hoc verum periculo comprobabit. & ex proiectu lapidis vulnere facto gignuntur lupo vermes.

QVOMODO HOMINEM IGNE CASTIGATVM.

Hominem igne caſtigatum, & hoc indicare volentem, cum volunt ſignificare, leonem & faces pingunt. nihil enim magis timet leo, quàm faces ardentes. neque vlla alia re æque ac his domari creditur.

QVOMODO HOMINEM AEGROTVM AC SEIPSVM CVRANTEM.

Hominem ægrotum ac ſeipſum curātem cum volunt ſignificare, leonem pingũt ſimiam vorantē. hic enim ſi febricitet, vorata ſimia cõualeſcit.

QVOMODO HOMINEM NOVISSIMA CALAMITATE CASTIGATVM.

Hominem nouiſſima calamitate caſtigatum ſignificare volentes, taurum pingunt caprifico illigatum. hic enim cum mugit, ſi de caprifico ligetur, redditur manſuetus.

QVOMODO HOMINEM DVBIAE TEMPERANTIAE.

Hominem dubiæ & inſtabilis temperantiæ ſignificare volentes, taurum pingunt genu dextrũ ligatum. ſic enim non coit. aſſumitur autem taurus ſemper ad temperantiam ſignificãdam: quippe qui poſt conceptum, fœminam non adeat.

QVOMODO HOMINEM OVES ET CAPRAS PERDENTEM.

Hominem oues & capras perdentem ſignificare volentes, animalia ipſa pingunt Conizam paſcentia. hæc enim Conizam edentia moriuntur ſiti enecta.

QVOMODO HOMINEM COMEDENTEM.

Hominem comedentem ſignificare volentes, Crocodilum pingunt os apertum habentem.

QVOMODO HOMINEM RAPACEM ET PIGRVM.

Hominem rapacem & pigrum ſignificare volentes, crocodilum pingunt cum Ibidis penna in capite. hunc enim ſi Ibidis penna tangas, immobilem reddes.

QVOMODO MVLIEREM SEMEL TANTVM ENIXAM.

Mulierem, quæ ſemel tãtum peperit cum volunt ſignificare, leænam pingunt. hæc enim non concipit ſecundo.

QVOMODO HOMINEM NATVM DEFORMEM.

Hominem primo deformẽ natum, qui poſtea formoſus euaſerit ſignificare volentes, vrſam prægnantem pingunt. hæc enim conuerſum ſanguinem ac duratum parit. Poſtea fotum digerit in ſuas partes, ac lingua lingens perficit.

QVOMODO HOMINEM FORTEM ET CONDVCENTIVM INDAGATOREM.

Fortem hominem ac vtilium indagatorem ſignificare volentes, elephantem pingunt cum

proboſcide. hac enim ille olfacit, ac intercidentia conſequitur.

QVOMODO REGEM FVGIENTEM INSIPIENTIAM.

Regem inſipientiam fugientem ſignificare volentes, ceruum & arietem pingũt. fugit enim ceruus cum arietem videt.

QVOMODO REGEM NVGATOREM FVGIENTEM.

Regem, hominẽ multarum nugarum fugientem cum volunt ſignificare, elephantem pingunt cum ſue. fugit enim elephas audita voce ſuis.

QVOMODO HOMINEM CELEREM QVIDEM IN CVRSV, SED SINE CAVSSA FVGIENTEM.

Hominem celerem in curſu, verum ſine cauſſa fugientem ſignificare volentes, ceruum & viperã pingunt. fugit enim ceruus viſa vipera.

QVOMODO HOMINEM DE SVA SEPVLTVRA SOLICITVM.

Hominem de ſua ipſius ſepultura curam habẽtem ſignificare volentes, ceruum pingunt ſuos ipſius dentes infodientem. ſepelit enim ceruus, qui ſibi exciderunt dentes.

QVOMODO HOMINEM QVI AD IVSTAM AETATEM VIXERIT.

Hominem qui ad legitimam ætatem vixerit

ſignificare volentes, cornicē pingunt. viuit enim hæc centum ægyptiacos annos. annus autē apud AEgyptios eſt quatuor annorum.

QVOMODO HOMINEM MALITIAM SVAM TEGENTEM.

Hominem malitiam ſuam tegentē, nec ab alijs cognoſci promittentem, cum volunt ſignificare, pardum pingũt. venatur enim pardus & inſequitur cætera animalia ex occulto ac ſingilatim. nec pernicitatem ſuā cognoſci ſinit, vt minus caueāt ab eo animalia, quæ inſequitur ad paſtum.

QVOMODO HOMINEM ADVLATIONE DECEPTVM.

Hominem adulatione deceptũ ſignificare volentes, ceruum pingunt cum tibicine. demulcetur enim ceruus cantus modulamine. ac ſic quodammodo oblitus ſui capitur.

QVOMODO PRAECOGNITIONEM ABVNDANTIS VINDEMIAE.

Præcognitionem abundantis vindemiæ ſignificare volentes, Vpupam pingunt. ipſa enim ſi canat antequam vites germinent, futura vini copia ſignificatur.

QVOMODO HOMINEM CVI VVAE PASTVS NOCVERIT.

Hominem cui comeſta vua nocuerit, & qui

ob id ſeipſum curet ſignificare volẽtes, Vpupam pingũt, & Adiantum herbam. Vpupa enim vua paſta læſa, inuentum adiantum in os immittit, ac ſic conualeſcit.

QVOMODO HOMINEM CAVENTEM SIBI AB INIMICORVM INSIDIIS.

Hominem ſibi cauentem ab inimicorum inſidijs cum volunt ſignificare, gruem vigilantẽ pingunt. grues enim ſeipſas cuſtodiũt tota nocte per vices vigilias facientes.

QVOMODO PEDICATIONEM.

Pedicationẽ ſignificare volentes, geminos mares ex perdicibus pingunt. illi enim amiſſis fœminis inuicem coeunt.

QVOMODO SENEM INEDIA ENECTVM.

Senem inedia enectum ſignificare volentes, aquilam pingunt cũ curuato roſtro. illi enim ſeneſcenti incuruatur roſtrum, & ea de cauſſa inedia abſumitur.

QVOMODO HOMINEM INQVIETVM SEMPER ET IRACVNDVM.

Hominem inquietum ſemper & iracundũ, ac nec quidem dum comedit quieſcentem, cum volunt ſignificare, cornicẽ cum pullis pingunt. Cor-

nix enim dum pullos paſcit, ſemper eſt in curſu.

QVOMODO HOMINEM CAELESTIVM GNARVM.

Hominem cæleſtium gnarum ſignificare volẽtes, gruem volãtem pingunt. hæc enim ita alte volat, vt nubes videat & tangat.

QVOMODO HOMINEM ALIENANTEM PROPRIOS LIBEROS OB PAVPERTATEM.

Hominem alienantẽ proprios liberos ob paupertatẽ cum volunt ſignificare, aquilam prægnãtem pingunt. illa enim parit tria oua. ex quibus eligit vnum, duo reliqua frãgit. hoc autem facit, quia tunc temporis vngues mutat. & hac de cauſſa non poteſt tres eodem tempore pullos alere.

QVOMODO HOMINEM TARDVM IN MOVENDIS PEDIBVS.

Hominem tardum in mouẽdis pedibus ſignificare volentes, Camelum pingũt. ille enim ſolus ex alijs animalibus crura in eundo incuruat. & ex hoc habet appellationem.

QVOMODO HOMINEM IMPVDENTEM ET ACVTI VISVS.

Hominem impudentem & acuti viſus ſignificare volentes, ranam pingunt. hæc enim ſanguinẽ non habet niſi tantum in oculis. eos autem qui

illic ſanguinem habeant impudentes vocant. vnde Homerus: ebrius, canis oculos habens, & cor cerui.

QVOMODO HOMINEM QVI SE MOVERE NEQVEAT.

Hominem qui multum tempus ſe mouere nequeat, poſtea vero mouendi ſe vires conſequatur, cum volūt ſignificare, ranā pingunt, pedes poſteriores habentem. ranæ enim naſcuntur ſine pedibus, qui tamen procedente tempore ſubcreſcunt.

QVOMODO HOMINEM OMNIBVS INIMICVM.

Hominem omnibus inimicum ſignificare votes, anguillā pingunt. hæc enim ſeorſum ab alijs piſcibus degit. neque temere cum alijs inuenitur.

QVOMODO HOMINEM SERVANTEM MVLTOS IN MARI.

Hominem ſeruantem multos in mari ſignificare volentes, Narcam piſcem pingunt. hic enim cum viderit piſces defeſſos iam, nec amplius natare valentes, præſto eſt illis ac ſeruat.

QVOMODO HOMINEM QVI VTILIA ET INVTILIA MALE CONSVMPSERIT.

Hominem qui vtilia & inutilia male conſum-

pſerit ſignificare volentes, polypum piſcem pingunt. hic enim multum & intemperanter edens cibum congerit in caueam. & cum eſui apta conſumpſerit, abijcit, & reliqua inutilia.

QVOMODO HOMINEM HOMINIBVS SVI GENERIS IMPERANTEM.

Hominem hominibus ſui generis imperantem ſignificare volentes, Carabum & polypum pingunt. ſuperant enim Carabi polypos, ac primas tenent.

QVOMODO HOMINEM IVNCTVM MVLIERI.

Hominem iunctum mulieri ſignificantes, cōchas piſces pingunt. ipſæ enim in conchis genitæ, paulo poſt in ipſis conchis mutuo iunguntur.

QVOMODO HOMINEM QVI SEIPSVM NON CVRET.

Hominem qui ſemetipſum non curet, verum à propinquis curetur, ſignificare volentes, concham & cancrum pingunt. adhæret enim cancer conchæ, & vocatur pinnophylax, id eſt, conchæ cuſtos. hiat autem concha cum eſurit. in eam igitur hiantem cũ piſciculus intrauerit, pungit cancer vngula concham. hæc vero admonita conchã claudit. & hoc modo venatur piſciculos.

QVOMODO HOMINEM CIBVM EVOMENTEM.

Hominem cibum euomentem, ac rurſus immoderate comedẽtem ſignificare volentes, Muſipulam aquaticum animal pingunt. hæc enim ex ore parit: poſtea vero natans fœtum deglutit.

QVOMODO HOMINEM CVM ALIENIGENIS COEVNTEM.

Hominem cum alienigenis coeuntem ſignificare volentes, Myrannam piſcem pingunt. hæc enim è mari egreſſa viperis admiſcetùr, ac ſtatim ad mare recurrit.

QVOMODO HOMINEM OB CAEDEM PVNITVM.

Hominem ob cædem punitum ſignificare volentes, turturem laqueo captã pingunt. hæc enim detenta abijcit, quam habet in cauda ſpinam.

QVOMODO HOMINEM ALIENA COMEDENTEM INTEMPERANTER.

Hominem aliena comedentem ac déinde ſua conſumentem ſignificare volentes, polypum pingunt. hic enim ſi deſint ſibi cibi, ex ſuis capillamẽtis edit.

QVOMODO HOMINEM PVLCHRA APPETENTEM.

Hominem pulchra appetentem, ac pro his vl-

tro mala ſubeuntem cum volunt ſignificare, Se-piam pingunt. hæc enim ſi videat ſibi inſidias tendi, aquam turbat profuſo ex aluo atramēto, atque ita piſcatorem fugit.

QVOMODO HOMINEM LIBIDINOSVM.

Hominem libidinoſum ſignificare volentes, paſſerculum turrianum pingunt. hic enim & ira concitus, & abundanti ſpermate vexatus, ſepties in hora coit, abundanter ſperma emittens.

QVOMODO HOMINEM EVNDEM TENOREM VITAE SERVANTEM.

Hominem eundem tenorem vitæ ſeruantem ſignificare volentes, lyram pingūt. hæc enim eūdem ſonum continuat.

QVOMODO HOMINEM QVI AB INSIPIENTIA RESIPVERIT.

Hominem qui ab inſipiētia reſipuerit, ac inde modum ſuæ vitæ habuerit ſignificare volentes, fiſtulam pingunt. hæc enim maxime conuertit ac retinet hominem, & in memoriam redigit ea quæ animo obſequens perpetrauerit. & habet hæc ſonum maxime compoſitum.

QVOMODO HOMINEM AEQVALE VNICVIQVE DISTRIBVENTEM.

Hominem æquale vnicuique diſtribuentem

ſignificare volentes, ſtrothocamili pennam pingunt. hoc enim animal habet vndique alarum pẽnas æquales.

QVOMODO HOMINEM LABORIOSVM.

Hominem laborioſum ſignificare volentes, manum hominis pingunt. hæc enim omnia opera perficit.

INDEX rerum quæ in hoc ORI Apollonis de literis Hieroglyphicis notis, libello, continentur.

A

Acuti viſus homo 26 a
Adulatione deceptus homo 25 a
AEgrotus ſeipſum curans 23 b
AEgyptus 9 a
AEgyptiacæ literę 1 a
AEquinoctia 7 b
AEuum 3 a
Alienans proprios liberos ob paupertatẽ 26 a
Altitudo 4 a
Amor 17 b
Anima 4 b
Anima hominis 16 a
Anima diu vita durãs 10 a
Animus 8 a
Annus 3 b & 6 a
Annus inſequens 4 a
Antiqua ſtirps 10 a
Antiquiſſimus 17 b
A peregrinatione ſero rediens 10 b
Appetẽs pulchra 27 b
Auditus 12 b
Auditus acuti homo 22 a
Auerſio 17 b

B

Bucca boni viri 16 a

C

Cæcus homo 21 b
Cædes 17 b
Cæleſtiũ gnarus 26 a
Caſtigatus nouiſſima calamitate 23 b
Cauens ſibi ab inimicorum inſidijs 25 b
Celer quidẽ homo in curſu, ſed ſine cauſſa fugiens 24 b
Comedens homo 24 a

Comedens aliena intemperanter 27 b
Commenſuratio 16 b
Concordia 16 b
Cor 10 b
Culices multi 19 b

D

Debilis homo aufugiens tamen 20 a
Debilis homo qui alio inſequente aufugit 20 a
Demens 13 b
Depreſſio 4 a
Deſponſata mulier 17 a
Deus 4 a & 7 a & 16 a
Diſtribuēs æquale vnicuique 28 a
Dragmæ duæ 6 a

E

Embrio 9 a
Euomens cibum 27 b
Excellentia 4 a

F

Fatum 7 a
Filius 13 b
Filij matri inſidiantes 21 b
Firmitudo 16 b
Fœcundus 15 a
Formicarum defectus 18 a
Formidoloſus homo 8 b
Fortis homo & conducentium indagator 24 a
Fortitudo 8 a
Fullo 15 a
Furor 8 a

G

Generatio 5 a
Gratitudo 13 b
Guſtus 10 a

H

Homo 5 a
Homo nō peregre proficiſcens 9 a
Homo eundem vitæ

tenorem ſeruans 28 a
Homo qui inimicum ſuum vicerit 22 b
Homo tute vrbem habitans 20 a
Homo non habens per ſe bilem, ſed ab alio commotus 19 b
Homo iniectas ſibi difficultates intrepide ferens 22 b
Homo qui ſolis ardore valetudinem contraxit, & ob eã cauſſam deceſſit 19 a
Homo ſeipſum curans ex oraculi reſponſo 19 b
Homo ad propriũ patronum confugiens, neque adiutus. 20 a
Homo oues & capras perdens 23 b
Homo cum alienis coiens 27 b
Homo intra domũ ſe continens 21 b
Homo qui ſit magiſtratus 11 b
Homo igne combuſtus 21 b
Homo in accuſatione conuitijs confectus ac languens 21 b
Homo qui vtilia & inutilia male conſumſumpſerit 26 b
Homo qui ad iuſtam ætatem vixit 24 b
Homo de ſua ſepultura ſolicitus 24 b
Homo ſuum dedecus occultans 22 a
Homo ſibiipſi damna dans 22 a
Homo ſeipſum nõ curans 27 a
Horoſcopus 11 b

I

Ignes 17 a
Igne caſtigatus 23 a
Ignorantia 12 a
Ile hominis 16 b
Imperans hominibus ſui generis 27 a
Impius 17 a

Impoſſibile 14 b
Impudens 26 a
Impudentia 13 a
Ingratus 14 a
Ingratus erga prome-
ritos 14 a
Inimicus omnibus
26 b
Inimicus inimico con-
greſſus 18 b
Inimicum ſuum homo
præueniens 23 a
Iniuſtus 14 a
Inquietus ſemper &
iracundus 25 a
Inſanus 15 a
Inſtabilis 22 b
Inſtauratio diuturna
21 a
Interitus 13 a
Ira 7 & 8 a
Ira immenſa 18 b
Iuno 6 a

L

Laborioſus homo 28 b
Lactans mulier & be-
ne nutriens 20 b
Libidinoſus 28 a
Lineæ decē planæ 18 a
Literæ 7 a
Longæuus 17 a
Luna 7 a

M

Malitiam ſuam tegens
25 a
Mars & Venus 4 b
Mater 6 a
Menſis 3 b
Miſericordia 6 a
Morbus 16 b
Mors 17 b
Mouere ſe nequiens
26 b
Mulier quæ infantem
fœminā peperit 9 a
Mulier quæ abortiuū
fecerit 19 b
Mulier ſemel tantum
enixa 24 a
Mulier quæ virum o-
dit 21 a
Mundus 3 a & 5 a
Muſa 17 b
Myſticus homo 29 b

N

Natatio 7 a

Natus homo deformis 24 a
Nili inundatio 8 b
Notitia 13 a
Noua luna 7 b
Nox 16 a
Nuptiæ 5 a

O

Obſidio 17 b
Occaſus 15 b
Opus 17 a
Orbis terrarum 7 a
Odium 12 a
Oratio 9 b
Ortus 15 b
Os 12 a

P

Pallas 6 a
Parca 17 b
Parentis amator 21 a
Patens aliquid 9 b
Pater 5 a
Pater qui inuitus filio hæreditatē relinquit 22 a
Patrimonium magnũ relictum filijs 18 a
Peccatum 12 b
Penis fœcundus 12 b
Pericula ex occulto timens 23 a
Peritia 10 b
Pernicioſus homo 18 b
Piger 24 a
Populus regi obſequēs 15 a
Præcognitio 6 a
Præcognitio abundantis vindemiæ 25 a
Punitus homo ob cædem 27 b

Q

Quinquenarius numerus 7 a

R

Rapax 15 a & 24 a
Reſipiens ab inſania 28 a
Rex victor 14 b
Rex qui in parte dominatur 15 a
Rex peſſimus 14 b

Rex cuſtos 14 b
Rex ſolitarius, neque errata miſerans 20 b
Rex fugiens inſipientiam 24 b
Rex nugatorem fugiens 24 b
Rudis 17 b

S

Sacer ſcriba 11 a
Sacrum pallium ferēs 11 b
Saltatione gaudēs homo 20 b
Sanguis 4 a & 17 b
Sceleſtus homo 12 a
Securitas 16 b
Senex inedia cōfectus 25 b
Senex muſicus 18 b
Seruans multos in mari. 26 b
Solis curſus 16 a
Sterilis mulier 19 a
Stomachus 16 a
Superior ab inferiore victus 22 a

T

Taciturnitas 9 b
Tardus in mouendis pedibus 26 a
Temperantia hominis 16 b
Temperātiæ dubiæ homo 23 b
Tempus 16 a
Tenebras quomodo adumbrabant 15 b
Terminus 6 a
Turbatio 16 b
Tutela 9 a

V

Venti 17 a
Ver 17 a
Veſpæ 19 a
Victor omnium 15 a
Victoria 4 a
Vidua mulier 18 a
Vigilans 8 a
Vir debilis, & qui aliorum auxilio egeat 18 a
Vir fortis & temperās 12 a

Virago mulier	18 b	Voluptas	9 a
Viſus	6 a	Vox remota	9 b
Vltio	17 a	Vuæ paſtus cui nocue-	
Vnigenitus	5 a	rit	25 a

EXCVDEBAT ROBERTVS STE-
PHANVS ANN. M.D.XXX.
XIX. CAL. FEBR.